DE CICERONE

GRAECA VOCABULA USURPANTE

FACULTATI LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

A. FONT

LUTETIÆ PARISIORUM
ÉMILE BOUILLON EDIDIT
67, VIA DICTA RICHELIEU, 67

MDCCCXCIV

DE CICERONE

GRAECA VOCABULA USURPANTE

FACULTATI LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

A. FONT

LUTETIÆ PARISIORUM

ÉMILE BOUILLON EDIDIT

67, VIA DICTA RICHELIEU, 67

MDCCCXCIV

unam rem significent, eandem vero unum græcum; num flores non distinguant sermonem latinum, pigmenta autem græcum colorent, et lumina illustrent : quare græcus sermo cum romano nobis quodam modo erit conferendus.

Externi cujusvis sermonis studium et usus quantas in se virtutes habeat, sive ad patrium sermonem ditandum, seu ad alendas ingenii vires et augendas, complures viri et ii eruditi sæpenumero collegerunt. Quorum ad effata locupletem testem Tullium et pergravem auctorem addemus, quippe cujus in operibus discernere sit qui et qualis et quotus fructus ex illa exercitatione et scientia ab ingeniosis atque diligentibus adolescentibus percipi possit.

Græcæ autem litteræ et lingua ad effingendam mentis humanitatem eximiam valeantne annon, grammatici quidem non jam inter se certant, nec non adhuc tamen quasi sub judice lis est. Cicero nobis insignia documenta nec supervacanea suppeditabit.

DE CICERONE

GRAECA VOCABULA USURPANTE

ERUDITO ET BENEVOLENTI VIRO

FERD. ANTOINE

IN TOLOSANA LITTERARUM FACULTATE PROFESSORI.

Grati animi pignus.

DE CICERONE

GRAECA VOCABULA USURPANTE

FACULTATI LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

A. FONT

LUTETIÆ PARISIORUM
ÉMILE BOUILLON EDIDIT
67, VIA DICTA RICHELIEU, 67

MDCCCXCIV

H. Stephanus, in *Thesauro græcæ linguæ,* cum græca non gallicis sed latinis verbis interpretaretur, sæpenumero Ciceronem ipsum græca latinis transferentem commemoravit, ac summum illum latinitatis auctorem, qui græcis litteris eruditissimus erat, sibi adhibuit. Tullianos locos huc spectantes a prima usque ad extremam litteram in *Thesauro* protulit. Hæc est, exempli causa, definitio nominum φιλόσοφος et σοφία apud H. Stephanum :

« Φιλόσοφος, amans s. expetens sapientiam, ut Cic., *de Offic.*, 2. Sapientiam qui expetunt igitur φιλόσοφοι nominantur; nec quicquam aliud est φιλοσοφία, si interpretari velis, quam studium sapientiæ. — Idem Cic. quod Plato dicit *de Rep.*, 5, beatas fore resp. ἐὰν οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ, δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία sic vertit, si aut docti et sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent omne suum studium in doctrina et sapientia collocassent : hanc conjunctionem scilicet potestatis ac sapientiæ saluti civitatibus esse posse... Possumus igitur, Ciceronem secuti, φιλόσοφος reddere modo qui sapientiam expetit, modo sapientiæ studio deditus, modo sapiens et doctus : qui tamen et Græca vocabula frequentius retinet, ut et alii e latinis [1]. »

« Σοφία, sapientia, Cic., *de Offic.*, 5. Princepsque omnium virtutum est illa sapientia, quam σοφίαν Græci vocant; prudentia enim, quam φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligi-

1. Londini, 1822, in-folio, vol. IV, p. 8534.

mus. Idem hæc Platonis *Menex.*, 247. πᾶσά τ'ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, ἀλλ' οὐ σοφία φαίνεται, sic vertit scientia quæ est remota ab justitia calliditas potius quam sapientia est appellanda[1]. »

Itaque amplissimo in illo græcæ linguæ *Thesauro* H. Stephani adest etiam Lexicon græcorum verborum quæ Cicero transtulit. Is qui de M. T. Cicerone græcorum interprete disserit prima H. Stephani vestigia sequitur.

De *M. T. Cicerone græcorum interprete* thesim summa diligentia V. Clavel composuit. Accedunt etiam loci græcorum auctorum cum T. Ciceronis interpretationibus, et Ciceronianum lexicon græco-latinum[2]. Quærit igitur V. Clavel num alia fuerit elocutio Ciceroni suas, alia Græcorum sententias exprimenti, quantique momenti fuerit ad augendas litterarum opes latina græcorum operum interpretatio. Lexicon autem ex variis græcorum locis a M. T. Cicerone interpretatis colligitur[3]. Frequentia autem illa græca quæ non vertens Cicero sermoni suo latino, et in aliis scriptis et præsertim in epistolis inculcat, H. Stephanus et V. Clavel ex proposito omittunt.

Græca omnia, et ea quæ transtulit M. Tullius et ea quæ non transtulit, primus Ernestius in *Clave Ciceroniana* collegit, quam emendatam edidit J. V. Leclerc, inter indices Ciceronianos post Ciceronianam ejusdem editionem cum interpretatione gallica prolatos[4]. Ibi græca quæ non vertit Cicero, Ernestius ipse, primus inter omnes, latinis verbis interpretatur, quem fere nos sequimur. Non autem locos tullianos exscribit, tantummodo monet ubinam eos reperias et legas.

Orellianæ editionis in octavo volumine[5] inest *Index græco-latinus*. De quo Orellius in præfatione[6] dicit : « De integro composuit Baiterus meus, consulto, ut par erat, Ernestiano, a quo eo maxime nomine differt, quod loci tulliani huc spectantes omnibus verbis exscripti sunt. » Non omnes quidem loci tulliani exscribuntur, sed plerique.

1. Londini, p. 8538. — 2. Hachette, 1868, 1-384. — 3. 313-378. — 4. Parisiis, Lefevre, 1824, vol. XXX. *Index græco-latinus*, 545-584. — 5. Turici, 1838, vol. VIII, pars tertia, 1-115. — 6. P. XIII.

De *Græci sermonis proprietatibus, quæ in Ciceronis epistolis inveniuntur* diligenter disseruit Dr. Rudolfus Boltzenthal[1], qui requirit ex quibus græcis scriptoribus Cicero hæc verba delegerit, num quædam vulgari sermone proficiantur, num aliquot nova a Cicerone ipso sint creata.

De *locis aliquot græcis, qui insunt in Ciceronis ad Atticum epistolis* commentatus est Dr. Rudolfus Mückius[2], gravibus mendis quæ hos locos deformant medelam afferre conatus[3].

Nobis quidem inquirere propositum est cur, quomodo et quando M. Tullius græca verba usurpaverit, neque ea solum quibus de philosophia et rhetorica disseruit[4], sed ea etiam quæ ubique ad expromendam suam sententiam mutuatus est; quibus in scriptis et qualibus in epistolis græca adsint; cur, inter verba idem significantia, græcum non latinum aliquando eligat; quibusnam græcis proverbiis et prolationibus utatur, qua ratione græcas voces usurpet, num quasdam ob brevitatem præoptet, vel ob subtiliorem sensum, vel ad robur tribuendum, et ad figuras adhibendas.

Si Ciceronem modo hos, modo illos poetas ex Graiis laudantem animadvertes, sive inspicies quænam potissimum is inter omnia Homeri et Euripidis carmina proferat, tunc viri mores atque naturam, et animi quemdam vigorem cum infirmitate conjunctum dijudicare licebit. Præclarissimi etiam illius ingenii quasdam dotes forsitan cernas, quoniam res ipsæ nos monent ut ejus mentem in manifesta virtute deprehendamus.

Quoties vero latina vocabula neglegens græcis verbis Cicero usus est, toties fere perpendemus cur patriam linguam repudiaverit, externam usurparit; num magis præfinitum sit græcum nomen, latinum incertius; num plura latina

1. Cüstrin, 1884 (Nigmann), 1-11.
2. Nordhausen, 1878. Druck von C. Kirchner, 1-14.
3. Muckium corrigentem fere nusquam secutus est Bootius, M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum libros XVI recensens. (Amstelodani, Muller, 1886, 1 vol. in-8o.)
4. Nobis de ea re dicentibus auctores exstiterunt et V. Clavel (op. cit.), et Causeret, *Étude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron.* Paris, 1886, in-8o, 1-250.

unam rem significent, eandem vero unum græcum; num flores non distinguant sermonem latinum, pigmenta autem græcum colorent, et lumina illustrent : quare græcus sermo cum romano nobis quodam modo erit conferendus.

Externi cujusvis sermonis studium et usus quantas in se virtutes habeat, sive ad patrium sermonem ditandum, seu ad alendas ingenii vires et augendas, complures viri et ii eruditi sæpenumero collegerunt. Quorum ad effata locupletem testem Tullium et pergravem auctorem addemus, quippe cujus in operibus discernere sit qui et qualis et quotus fructus ex illa exercitatione et scientia ab ingeniosis atque diligentibus adolescentibus percipi possit.

Græcæ autem litteræ et lingua ad effingendam mentis humanitatem eximiam valeantne annon, grammatici quidem non jam inter se certant, nec non adhuc tamen quasi sub judice lis est. Cicero nobis insignia documenta nec supervacanea suppeditabit.

PRIMUM CAPUT.

DE ROMANIS ANTE CICERONEM GRÆCA VOCABULA USURPANTIBUS.

Operæ pretium est requirere quonam modo et quibus de rebus Romani ante Ciceronem sermoni suo græcas voces adhibuerint, ut enucleate appareat utrum ipse M. Tullius imitatus sit, an mutaverit, aut renovarit. Explorandum est num græcis verbis latina miscentes Romani colloquerentur et scriberent.

Non primi ante omnes Atticus et Cicero cotidiano sermoni græca verba insperserunt, neque ii consuetudinis istius initium fecerunt. Vigentibus P. Africano et Lælio et L. Ælio Stilone et Q. Cæcilio Metello, nonnulli inter primores populi erant qui græcas litteras ita foverent, ut græce potius quam latine loqui mallent, patriam linguam spernerent, externam asciscerent. Ex quibus ille T. Albucius, quem vehementer apud Lucilium Q. Mucius Scævola reprehendit, magna cum Ciceronis laude :

Græcum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,
Præclarorum hominum ac primorum signiferumque,
Maluisti dici; Græce ergo prætor Athenis,
Id quod maluisti, te, cum ad me accedi', saluto :
χαῖρε, inquam, Tite! Lictores, turma omni' cohorsque,
χαῖρε, Tite! Hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus[1].

1. *De Finibus*, I, 3, 10. Cf. *Lucilii Saturarum reliquiæ*. Lucianus Mueller, Lipsiæ Teubner, 1872, p. 135; *Ex libris incertis*, IX.

Idem Lucilius ἑλληνίζοντας Romanos vituperare videtur, cum scribit de eodem viro :

Quam lepide λέξεις, compostæ, ut tesserulæ, omnes
Arte pavimenti atque emblemati' vermiculati [1]!

Ex his Lucilii locis constat hunc græce loquendi morem ante Atticum et Ciceronem apud litteratissimos viros exstitisse, cum primum grammaticus Crates et Carneades philosophus græcas litteras et doctrinas faventibus nobilissimis adolescentibus, invito autem Catone, Romam intulerunt.

M. Terentius Varro aliquando græcis verbis utitur, in epistolarum reliquiis :

« Convocat Ptolemæum κιναιδόλογον, Nicona πεταυριστήν, Diona αὐλοποιόν [2]. »

M. Tullius, cum in epistolis latinum sermonem aliquot græcis verbis miscet, fautores illos Græcorum non sectatur qui non nisi græce omnino loquebantur, sicut T. Albucius ille, Varronem imitatur. Atticus autem, qui cognomen etiam Athenis reportaverat, non ubique græca lingua utebatur, sed tantummodo latina vocabula græcis aliquando contaminabat : nedum hi amici moris illius auctores sint dicendi.

Quodsi non jam quotidianum sermonem et epistolas consideraris, sed scripta legeris, tunc mirabere quantum de latina lingua M. Tullius meritus sit.

Non licebat comœdiarum scriptoribus, qui ignaræ et turbidæ plebis aures lenituri erant, omnino adhibere græcas voces, quas Quirites raro intelligebant. Itaque, quanquam Græcas fabulas imitabantur et sæpe transferebant, haud sæpe externa vocabula illi usurpabant. Comœdiarum tituli ex græcis aliquoties transcribuntur, velut Pseudolus, Heautontimorumenos, Adelphæ. Quibus titulis exceptis, haud frequentia [3] inveneris apud Plautum et Terentium græca

1. *De Or.*, III, 43, 171. Cf. *Lucilii Reliquiæ;* ibid., X.
2. Ed. Riese (Teubner), 259, 3.
3. Circiter quadraginta adsunt in *Mile glorioso.* (Klotz, *Handb. der lat. Stilistik,* § 18, p. 141.)

verba, velut hæc : γρῦ [1], μὰ τὸν Ἀπόλλω [2], εὖγε [3], ἀγορά [4], χάρις [5], κόρα [6], etc.

Saturarum scriptores Lucilius et Varro græca verba in sermonem suum inculcaverunt : idem Lucilius a quo irridebatur T. Albucius pseudo-græculus, scripsit plura, græcis verbis « vermiculata. »

Si locos exceperis in quibus Lucilius græcorum poetarum carmina profert [7] vel commentatur [8], et eos in quibus instituta moresve Græcorum propriis nominibus exprimit [9], nonnulli loci græci supersunt in quibus nulla necessitate scriptor romanus coactus est græcis verbis uti :

« Θαῦμα μέγα, inquit balba, sororem Lanificam dici, siccam atque abstemiam ubi audit [10].

Quod deformis senex, ἀρθριτικὸς ac podagrosus est, quod mancus macerque, exilis, ramice magno [11]. »

Non autem ita frequentes sunt græcæ voces in latino Lucilii sermone ut is auctor crediderit se eadem vituperatione dignum esse atque T. Albucius. Tunc igitur licebat græcis uti, non licebat abuti.

« Bei Lucilius mag man immerhin das Verhæltniss hervorheben, dass er nicht bloss für Rœmer und Lateiner, sondern auch für Halbgriechen schreiben wollte, auch für Tarentiner, Consentiner und Sicilier, die zur Zeit selbst *bilingues* waren, wie dies Wesenberg bei Madvig ad *Cic. fin.*, I, 3, p. 20, ed. alt. (p. 19, ed. pr.) hervorhebt [12]. »

Sed rursus ipse ab Horatio reprehensus est :

« — At magnum fecit quod verbis græca latinis
Miscuit. — O seri studiorum ! quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit ? — At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.

1. *Mostellaria* (ed. Lorenz ; Berlin, 1876), 594. — 2. Ibid., 973. — 3. Ibid. 260. Cf. Tuchhændler, *de Vocabulis Græcis in latinam linguam translatis*. Berlin, 1876, 64 pages. — 4. *Pœn.*, 1302. — 5. *Ps.*, 712. — 6. *Capt.*, 881. Cf. *Archiv für Lat. Lexic*, 1893, p. 339. — 7. Liber 18, fragm. IX, p. 105. — 8. Liber 17, frag. I, p. 71. — 9. Liber 8, fragm. IV, p. 43 ; liber 12, fragm. VI, p. 59. — 10. Liber 6, fragm. V, p. 34. — 11. Liber 9, fragm. XLIV, p. 53. — 12. Klotz, *Lat. Stil.*, p. 135. *Philologus*. Band 32, pp. 691-697.

— Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petili?
Scilicet oblitus patriæ patrisque, latine
Cum Pedius causas exsudet Publicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis[1]? »

M. Terenti Varronis quidem *Saturarum menippearum* reliquiæ græcis verbis abundant; ex quibus :

« ὑπέρβατον ne dares; ne polliceres quod datum est[2].
τρόπων τρόπους qui non modo ignorasse me
Clamat, sed omnino omnes heroas negat
Nescisse[3].

Ideo fuga hostium græce vocatur τροπή; hinc spolia fixa in stipitibus appellantur τροπαῖα[4].

Κατάχρησις est enim vera[5]...

Non Hercules potest, qui cum Augiæ egisset
Κόπρον[6]...

Funus exsequiati stantes ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est περίδειπνον, quo pransi discedentes dicimus alius alii : vale[7].

Omnes videmur nobis esse, belli, festivi, saperdæ, cum simus σαπροί[8].

Bellaria ea maxime sunt mellita non sunt, πέμμασιν enim est cum πέψει societas infida[9].

In convivio legi nec omnia debent et ea potissimum quæ simul sint βιωφελῆ et delectent potius[10].

Si quis μελῳδεῖν est ὄνος λύρας
Præsepibus se retineat forensibus[11].

Avidus judex reum ducebat esse κοινὸν Ἑρμῆν[12]. »

« Seine *Saturæ Menippeæ* hatten griechische Uberschriften, wie I. Aborigenes περὶ ἀνθρώπων φύσεως. VIII. ἀνθρωπόπολις περὶ γενεθλιακῆς. XII. Caprinum prælium περὶ ἡδονῆς. XV. Co-

1. Hor., *Ed. Mueller* (Teubner), Sat., I, X, 20. — 2. *Ed. Riese* (Teubner), 104, 2. — 3. 106, 1. — 4. 106, 6. — 5. 106, 8. — 6. 107, 6. — 7. 168, 1. — 8. 169, 10. — 9. 176, 8. — 10. 176, 19. — 11. 179, 6. — 12. 216, 6.

lumna Herculis περὶ δόξης. XXII. δὶς παῖδες οἱ γέροντες u. dgl. m.[1]. »

Hanc græcorum verborum abundantiam in *Saturis* Lucili et Terenti Varronis inesse non admirabitur, qui meminerit eas saturas sermone eruditorum vel urbanorum Romanorum usas esse, quos græce loqui constat esse solitos.

Logistoricorum etiam in fragmentis quæ exstant, inveniuntur aliquot græca vocabula veluti . ὁ πολὺς ἄκρατος; κώνειον[1].

De quibus libris facile excusationem inveneris :

Romani enim qui rerum gestarum populi Romani memoriam servare et tradere voluerunt, ii patriam linguam ita spreverunt ut græce omnino scriberent. Ex quibus præcipui fuere Q. Fabius Pictor, L. Cincius Alimentus, homo plebeius, C. Acilius, et Aulus Postumius Albinus, M. Porcii Catonis æquales. Latinus sermo iis scriptoribus non tam dives et nobilis videbatur, cui rerum gestarum populi romani memoriam committerent. Forte etiam aliquot ex his timuerunt ne, latine scribentes, multitudini illam notitiam proderent quæ propria patrum erat, neve hac fieret audacior et firmior plebes.

Ἱστορίαι illæ mox translatæ ex græco in latinum fuerunt. Primus autem qui externæ linguæ rejiciendæ auctor fuit, et romanæ linguæ confisus est, M. Porcius Cato. *Originum* illi septem libri quos senex scribere instituit sunt antiquissimum latinarum historiarum monumentum. Quo exemplo a se dato hostis ille græcarum scientiarum singulare beneficium in romanas litteras contulit. Magnam tamen hujus auctoritatem non secuti sunt omnes qui, Catone vivo vel mortuo, historias romanas composuerunt : æquales enim erant Catonis et C. Acilius et A. Postumius Albinus, et P. Scipio, P. Africani prioris Filius, qui omnes græce scripserunt. At contra Cassius Hemina et L. Calpurnius Piso Frugi, et Fabius Maximus Servilianus Catonis vestigiis institerunt; unus, puero Cicerone, Cn. Aufidius græcas componebat historias. Cornelius Nepos, Ciceronis æqualis, græca verba tantummodo de græcis rebus usurpat, neque ea plurima:

1. Klotz, *Lat. Stil.*, p. 135.

Quæ *gynæconitis* appellatur[1]; qui *homerodromæ* vocantur[2]; *Pœcile*[3]; *Hilotæ*[4]; *Chalcioicos*[5]; *Chiliarchus*[6]; *mora*[7], *acta*[8], *acroama, anagnostes, tenesmos*[9], ὀστρακισμόν[10], προσκύνησιν[11]. Hæc autem duo græce scripta verba vehementer criticis displicent.

Ut Cato historiam, ita scriptor *Rhetoricæ ad Herennium* rhetoricam in latinum sermonem introduxit. Quanquam nova res erat, latine loqui ille ausus est, neque ad græcam linguam confugere. Perrara sunt verba ex græco fonte ab hoc scriptore sumpta :

« Quemadmodum qui litteras sciunt possunt id quod dictatum est scribere et recitare quod scripserunt : ita qui μνημονικὰ didicerunt, possunt quæ audierunt in locis collocare et ex his memoriter pronuntiare[12]. » (Cf. III, 24. Ibidem.)

« Conclusiones, quæ apud Græcos ἐπίλογοι nominantur, tripartitæ sunt[13]. »

Solet autem qui *ad Herennium Rhetoricam* composuit græca nomina latinis verbis transferre. Ipse hanc suam consuetudinem protulit.

« Nomina rerum græca quæ convertimus, ea remota sunt a consuetudine. Quæ enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata. Ergo hæc asperiora primo videantur necesse est, idque fiet rei, non nostra difficultate[14]. »

Quæ excusatio non multum abest ab illa Lucretii Cari excusatione, *de Rerum natura* carmen incipientis (I, 136) :

> Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
> Difficile illustrare latinis versibus esse,
> Multa novis verbis præsertim cum sit agendum.
> Propter egestatem linguæ et rerum novitatem.

et (III, 259) :

> ... Rationem reddere aventem
> Abstrahit invitum patrii sermonis egestas.

1. *Præf.* (ed. Nipperdey; Berlin, 1885). — 2. *Milt.*, 4, 3. — 3. Ibid., 6, 3. — 4. *Paus.*, 3, 6. — 5. Ibid., 5, 2. — 6. *Con.*, 3, 2. — 7. *Iphicr.*, 2, 3. — 8. *Agés.*, 8, 2. — 9. *Atticus.* — 10. *Cimon.*, 3, 1. — 11. *Conon.*, 3, 3. — 12. Ed. Muller (Teubner), III, 17. — 13. II, 30. — 14. IV, 7.

Inter nomina a scriptore *Rhetoricæ* ex Græcis in Latinos translata, sunt :

Complexio[1], cf. συμπλοκή ;
contentio[2], αντίθεσις ;
membrum orationis[4], κῶλον ;
annominatio[6], παρονόμασις ;
transitio[8], μετάστασις ;
disjunctio[9], διεζευγμένον ;
commutatio, ἀντιμεταβολή ;
dissolutio[12], ἀσύνδετον ;
nominatio[13], ὀνοματοποιία ;
circuitio, περίφρασις ;
licentia, παρρησία[15] ;
frequentatio[17], συναθροισμός ;
traductio, cf. αντανάκλασις ;
contrarium[3], εναντιότης ;
compar membrum[5], ἰσόκωλον ;
gradatio[7], κλίμαξ ;
correctio, ἐπανόρθωσις ;
conduplicatio[10], ἐπαναδίπλωσις ;
dubitatio[11], ἀπορία ;
præcisio, ἀποσιώπησις ;
denominatio[14], μετωνυμία ;
transgressio, ὑπερβατόν ;
deminutio, λιτότης[16] ;
commoratio[18], επιμονή.

Non primus igitur M. Tullius rhetoricas artes in linguam latinam inferens, græcis verbis usus est, sed illa via primo conculcata fuit ab auctore hujus libri, quem Cicero imitabatur, quando adolescens *Rhetorica* conscribebat et *de Inventione* libros. Non primum quidem exemplum dedit M. Tullius, sed maximum auctoritate sua et moderatissimum exemplar extulit.

Quod idem de philosophicis M. Tullii scriptis affirmaverimus. Plures ante nostrum latine de græca philosophia conscripserant, inter quos Amafinius, Rabirius, Catius. Horum scripta non exstant ; quæ quidem contemnit Cicero.

« Nihil definiunt (Amafinii et Rabirii), nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi nec disserendi putant[19]. »

« Jam vero physica, si Epicurum, id est si Democritum probarem, possem scribere ita plane ut Amafinius. Quid est enim magnum de corpusculorum (ita enim appellat *atomos*) concursione fortuita loqui[20] ? »

« Multi jam esse libri latini dicuntur scripti inconsiderate

1. Ed. Muller (Teubner), IV, 14. — 2. 15. — 3. 18. — 4. 19. — 5. 20. — 6. 21. — 7. 25. — 8. 26. — 9. 27. — 10. 28. — 11. 29. — 12. 30. — 13. 31. — 14. 32. — 15. 36. — 16. 38. — 17. 40. — 18. 45. — 19. *Acad. poster.*, I, 2, 5. — 20. Ibid., 6.

ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest ut recte quis sentiat et id quod sentit polite eloqui non possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem[1]. »

« Est quoddam genus eorum qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse latini sane multi libri, quos non contemno equidem, quippe quos nunquam legerim ; sed quia profitentur ipsi illi... se neque distincte neque distribute neque eleganter neque ornate scribere, lectionem sine ulla delectatione neglego[2]. »

« Catius Insuber, Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius et jam ante Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat[3]. »

« Epicurus, a quo omnes Catii et Amafinii, mali verborum interpretes proficiscuntur[4]. »

Ex his apparet in philosophia quoque ante Ciceronem exstitisse Romæ scriptores, qui græcorum philosophorum, in primis Epicuri, doctrinas in patrium sermonem transtulerunt. Primo in loco hi reponendi sunt, si tantummodo ad temporum ordinem respicias, sin autem ad jucunditatem, ad facundiam, ad orationem propriam et perpolitam, principem locum obtinet et vere parens est ille qui *de Republica, de Legibus, de Finibus, de Natura deorum, de Senectute, de Amicitia, de Officiis* illos libros pure et abundanter conscripsit et elate composuit.

Cicerone igitur adolescente, ridiculum erat, in sermone quotidiano, græcas voces semper usurpare et non nisi græce colloqui ; urbanum autem videbatur pauca græca vocabula inculcare. In scriptis vero, comici poetæ perpaucis græcis verbis utebantur, saturarum scriptores plurimis. Qui de historia, de rhetorica, de philosophia scribebant, Catonem et Rabirium et auctorem Rhetoricæ ad Herennium imitari poterant, qui latinis vocibus fere omnino utebantur. Sed hæc scripta pietatis cujusdam erga patriam linguam documenta erant, non autem verborum subtilitatem et abundantiam tenebant.

1. *Tusc.*, I, 3, 6. — 2. Ibid., II, 3, 7. — 3. *Ad fam.*, XV, 16, 1. — 4. Ibid., XV, 19, 2.

SECUNDUM CAPUT.

QUIBUS IN SCRIPTIS ET QUALIBUS IN EPISTOLIS GRÆCA ADSINT.

Quanquam M. Tullius græcis vocabulis sæpe usus est, tamen non inopem esse latinam linguam existimat, immo locupletiorem eam esse quam græcam aliquando affirmat.

« Ex eo credo quibusdam usu venire ut abhorreant a latinis, quod inciderint in inculta quædam et horrida, de malis græcis latine scripta deterius. Quibus ego assentior, dum modo de iisdem rebus ne Græcos quidem legendos putent. Res vero bonas, verbis electis graviter ornateque dictas, quis non legat? nisi qui se plane græcum dici velit [1], ... Ego autem mirari satis non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium. Non est omnino hic docendi locus; sed ita sentio et sæpe disserui latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putant, sed locupletiorem etiam esse quam græcam. Quando enim nobis, vel dicam, aut oratoribus bonis aut poetis, postea quidem quam fuit quem imitarentur, ullus orationis vel copiosæ vel elegantis ornatus defuit?

« Ego vero, quoniam forensibus operis, laboribus, periculis non deseruisse mihi videor præsidium, in quo a populo romano locatus sum, debeo profecto, quantumcumque possum, in eo quoque elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei, nec cum istis tanto opere pugnare, qui græca legere malint, modo legant illa ipsa, ne simulent, et iis servire qui vel utrisque litteris uti velint, vel, si suas habent, illas non magno opere desiderent [2]. »

1. De Lucili versibus ibi a Cicerone citatis, vide supra. — 2. *De Finibus*, I, 3, 8.

In tertio ejusdem operis libro hæc addit :

« Ex omnibus philosophis Stoïci plurima novaverunt, Zenoque, eorum princeps, non tam rerum inventor fuit quam verborum novorum. Quod si in ea lingua quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere ? Et quoniam sæpe diximus, et quidem cum aliqua querela non Græcorum modo, sed eorum etiam qui se græcos magis quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Græcis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores, elaborandum est ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum assequamur. Quanquam ea verba, quibus instituto veterum utimur pro latinis, ut ipsa *philosophia,* ut *rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica,* quanquam latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus. Atque hæc quidem de rerum nominibus[1]. »

Hanc patriæ linguæ laudem cum documento quodam et exemplo in Tusculanis iterat :

« Interest aliquid inter laborem et dolorem ; sunt finitima omnino, sed tamen differt aliquid. Labor est functio quædam vel animi vel corporis gravioris operis et muneris ; dolor autem motus asper in corpore, alienus a sensibus. Hæc duo Græci illi, quorum copiosior est lingua quam nostra, uno nomine appellant. Itaque industrios homines illi studiosos vel potius amantes doloris[2] appellant, nos commodius laboriosos. Aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Græcia ! Aliud, inquam, est dolere, aliud laborare. Cum varices secabantur C. Mario, dolebat ; cum æstu magno ducebat agmen, laborabat[3]. »

Quid autem συντάγματα illa componens sibi proposuerit, Cicero ipse in primo *de Natura deorum* libro explicavit :

« Cum otio langueremus et is esset rei publicæ status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset : primum ipsius rei publicæ causa philosophiam nostris homi-

1. *De Fin.*, III, 2, 5. — 2. φιλοπόνους. — 3. *Tusc.*, II, 15, 35.

nibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves tamque præclaras latinis etiam litteris contineri. Eoque me minus instituti mei pænitet, quod facile sentio, quam multorum non modo discendi sed etiam scribendi studia commoverim. Complures enim græcis institutionibus eruditi, ea quæ didicerant cum civibus suis communicare non poterant, quod illa quæ a Græcis accepissent latine dici posse diffiderent; quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Græcis ne verborum quidem copia vinceremur[1]. »

Hanc laudem affectat Cicero ut patrius sermo, qui prius inops merito putabatur, nunc sua opera et beneficio suo locupletatus et ditissimus inter omnes existimetur. Singularem hanc gloriam acerrime prosequitur, ut quam laudem jam Cæsar ipsi tribuisset, eandem decernant omnes cives : Ciceronem exstitisse « non solum principem atque inventorem copiæ, sed etiam bene meritum de populi romani nomine et dignitate; » quo autem uno victores latini a victis Graiis vincerentur, id a se met ipso fuisse ereptum. Etenim eum nominat C. Plinius major *parentem facundiæ latinarumque litterarum* (*N. H.*, VII, 30).

Quare fecit Catonem hæc in tertio *de Finibus* libro dicentem :

« ... Hinc est illud exortum, quod Zeno προηγμένον nominavit, contraque quod ἀποπροηγμένον nominavit, cum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis, quod nobis in hac inopi lingua non conceditur; quanquam tu (Cicero) hanc copiosiorem etiam soles dicere[2]. »

Vituperat igitur M. Tullius si qui græca verba usurpant dum scripta Romanis legenda componunt :

« Sermone eo debemus uti qui innatus est nobis, ne, ut quidam, græca verba inculcantes, jure optimo rideamur[3]. »

Quare Cicero ipse, in iis operibus quæ vel audiente populo Romano pronuntiat[4], vel ad erudiendos cives conscribit,

1. *De Natura deorum*, I, 4, 7.
2. *De Finibus*, III, 15, 51.
3. *De Offic.*, I, 31, 111.
4. « Quand on avait à parler devant le peuple, on prenait bien

quoties in animum habet ut in publicum scripta vel dicta proferantur. toties aut ex orationibus omnino omnia græca verba expellit, aut in rhetorica et philosophica scripta tantummodo ea condicione introducit ut externa illa vocabula uno vel pluribus patriis verbis traducat.

Idem auctor, cum litteras ad familiares scribit, quas non edendas esse putat, græcas voces usurpat, ludendi causa.

garde de donner même aux noms propres une tournure grecque. Plaute et Térence disent *Scylha*, *Persa*, *Chœrea*, *Phania ;* les poètes tragiques, *Ariadna*, *Hecata*, *Andromacha*, *Antigona*, *Hecuba*, *Helena*, etc... Au Sénat et dans la rédaction des actes officiels, on affecte de n'employer aucun terme qui ne soit pas latin... les magistrats romains ne devaient pas répondre en grec aux Grecs qui s'adressaient à eux, et Cicéron fut vivement attaqué pour avoir parlé grec dans un Sénat grec. (*Verr.*, IV, 66, 147.) » Gœlzer, *La latinité de S. Jérôme*. Hachette, 1884, p. 222. « Besonders hütete man sich in œffentlicher Rede vor dem Volke griechische Wœrter anzuwenden, und Cicero erwæhnt es als etwas besonderes, dass er in einer Senatsversammlung im Tempel der Tellus sich, als er den Griechen nachzuahmen empfahl, auch eines griechischen Audruckes bedient habe : Cic., *Phil.*, I, 1, 1. « In quo templo (æde Telluris), quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis Atheniensiumque renovavi vetus exemplum : græcum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. » Ob er den Ausdruck ἀμνηστία oder das griechische μὴ μνησικακεῖν gebraucht habe, kann ungewiss erscheinen. Er glaubte sich aber doch entschuldigen zu müssen, dass er ein griechisches Wort gebraucht habe. Die ӕltern Rœmer gingen in ihrem Eifer für ihre Muttersprache beinahe noch weiter, als es in vielen Fællen die Humanitæt zu erlauben schien, wenn sie den Griechen nur in lateinischer Sprache Bescheid gaben. Val. Max., II, 2, 2. « Magistratus prisci quanto opere suam populique romani majestatem retinentes se gesserint hinc cognosci potest, quod inter cetera gravitatis indicia illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam nisi latine responsa darent. » Ja der Proprætor tadelte Cicero, dass er, als er gegen C. Verres Beweismittel zur Anklage *de pecuniis repetundis* in Sicilien sammelte, in einer griechischen Bule griechisch gesprochen habe : Cic., *Verr.*, IV, 66, 147, ille enim negat et ait indignum facinus esse, quod ego (weil ein senator populi romani) in senatu græco verba fecissem, quod quidem apud Græcos græce locutus essem, id ferri nullo modo posse. (Klotz., *Lat. Stil.*, p. 136.)

Cujus rei manifestum exemplum adest : carmina quæ græce laudat Cicero in epistolis, eadem latine vertit in rhetoricis scriptis :

« Turpe... esse tacere, cum barbaros... pateretur dicere[1]. »

« Nunc vero αἰσχρὸν σιωπᾶν » (supple βαρβάρους δ'ἐᾶν λέγειν[2].)

« Eadem mensura reddere... qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis[3]. »

« Αὐτῷ τῷ μέτρῳ (supple εὖ δ'αποδοῦναι) καὶ λώϊον, αἴκε δύνηαι[4]. »

Non omnigena igitur Ciceronis scripta, quanquam uno ingenio cogitata et ex eadem manu delapsa, græcis vocabulis consperguntur, neque, si quoddam genus recensueris, unumquodque scriptum his quasi flosculis variatum reppereris. In orationibus totus linguæ tenor explicatur omnino latinus, sive in laudandis aut vituperandis hominibus res ponitur, seu forenses sunt, popularesve causæ. Qui de præteritis disceptabat auditor, velut judex, haud scio an græcas voces emittentem oratorem non esset interpretaturus. Qui autem de futuris statuebat, sicut senator vel populus, oratorem culpaturus erat et reprehensurus ut de majestate et auctoritate romana deminuentem. Auscultatoris vero qui ad oblectamentum advertit, aures ita permulcere cupit noster ut ex pleno et abundanti fonte suo ipse hausisse videatur, nedum alienas et externas opes sibi mutuetur.

Quis vero, in tot divinis actionibus, in tanta sermonis elegantia et tanto nitore, tam singulari facundia, uberrima et copiosa circumscriptionum amplitudine, quis unquam et perpolitam et abundantem et nitidam Graiorum linguam desideravit? Pro græco quidem poeta et de græcis litteris habita oratio eximium tullianæ latinitatis exemplum exstat, quam scilicet pro A. Licinio Archia egit.

Ex orationibus in Verrem actis græca verba plura solito excerpas. Nimirum tota causa in græcis rebus versatur. Quandoquidem Siculorum mores publicos ac privatos Verres commutare ausus erat et perturbaverat, callidi erat accusatoris, eorumdem instituta describentis, proprias et siculas voces actioni inculcare, ut judices omnia hæc neque com-

1. *De Orat.*, III, 35, 141. — 2. *Ad Att.*, VI, 8, 5. — 3. *Brut.*, IV, 15. Cf. *de Offic.*, I, 48. — 4. *Ad Att.*, XIII, 12, 3.

menticia neque levia ducerent, immo pluris existimarent, et Siculorum consuetudinem velut antiquam observarent. « In curia Syracusis, quem locum illi βουλευτήριον, honestissimo loco et apud illos clarissimo, ubi illius ipsius M. Marcelli, qui eum, quem eripere belli ac victoriæ lege posset, conservavit ac reddidit, statua ex ære facta est, ibi inauratam istius (Verris) et alteram filio statuam [1] » reposuerunt οἱ περὶ αὐτόν. Alibi, ut urbem unam omnium pulcherrimam atque ornatissimam, Syracusas, depingat et verbis augeat, ejus non modo situm, sed et τοποθεσίαν græcis, id est peculiaribus nominibus effingit. « Tertia est urbs, quæ, quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Τύχα nominata est... Quarta autem est urbs, quæ, quia postrema coædificata est, Νεάπολις nominatur [2]... » Denique aliquoties, Siculos laudans, siculas voces ipsas non referre nequit. « Scriptum exstat in iisdem litteris (Syracusanorum), quod iste homo barbarus ac dissolutus neque attendere unquam neque intelligere potuit : ἐδικαιώθησαν, inquit, hoc est, ut Siculi loquuntur, supplicio affecti ac necati sunt [3]. »

Quod si omnium verrinarum orationum priorem actionem solam revera habitam esse memineris, forsitan concedas et in hac peropportune vocabula sicula sibi assumpsisse accusatorem, et præsertim omnes tullianas orationes sic ab alienigeno sermone esse vacuas ut eas jam prætermittere nos deceat.

At rhetorica vel oratoria et philosophica Ciceronis opera qui pervolvit, in peregrinas dictiones aliquoties is incidit. Nec mirum : non ad forensem illam plebem quacum causas patronus agebat, hi rhetorici aut philosophici libri pertinebant, sed ad humanissimos viros neque omnino illiteratos. Quæ barbara verba rudes illi plebeii ex ore loquentis oratoris protinus auribus percipere nequibant, hi viri umbraticis studiis otiosi et litteris exculti interpretabantur. Quod vero vel non pervulgatas res inusitatis nominibus, vel Graiorum doctrinam aliquando græcis vocabulis rhetor philosophusve exprompserit et protulerit, quis eum reprehendat ?

1. *Verr.*, II, 21, 50. Cf. II, 52, et IV, 57, 128. — 2. Ibid., IV, 53, 119. — 3. Ibid., V, 57.

Nonnullæ igitur exteræ locutiones in libro insunt *de Oratore* et *de Inventione,* plures in libris qui inscribuntur *Topica* et *Orator;* aliquot in operibus *de Legibus* et *de Officiis* et *de Fato* invenias, satis multæ autem occurrunt, si quis *Academica, de Finibus* et *Tusculanorum* quinque, *de Natura Deorum* tres, *de Divinatione* duos libros perlegat.

Dialogum *de Claris Oratoribus* volventi lectori præsto sunt pauciores, perpaucæ etiam *de Senectute* et *de Amicitia* dialogos. Ex quibus *Brutus* ille de re historica agit, et nihil aliud nisi græcum et romanum quemque oratorem rhetoremve aut πολιτικὸν laudibus ita cumulat, ut nusquam fere rhetoricarum doctrinarum vocabula adhibere sit locus. *Lælius* autem et *Cato major* philosophicis Graiorum disciplinis imbuuntur, attamen has omnes versuras romano quodam colore et latini sermonis humanitate exquisita tanquam splendido volucro protexit et exornavit auctor. Præterea si M. Tullius græca sibi arrogantem et græce disserentem fecisset Lælium, quem quidem, sicut P. Scipio Africanus fuit, perpolitæ urbanitatis purissimum exemplar fuisse Romani existimabant, certe non ita colloquium illud esset moderatus, ut rerum atque personarum dignitates ferret apta et congruens lingua.

Cato major se antiquorum morum fautorem præbuerat et externis scientiis pertinaciter infensum; quem alienam linguam sibi assumentem si finxisset noster, manifesto esset ementitus. Quanquam apud Ciceronem eruditius disputare Cato videtur quam consuevit ipse in suis libris. Quod incongruentis sermonis crimen sibi ne objiceretur, plura hic præcavit. « Attribuito litteris græcis, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute [1]. » Postquam vero aliquot notissimos viros ex Graiis appellavit, atque Solonis versibus quibusdam alludit consularis senex, — non ille quidem extraria vocabula neque usurpans neque laudans, — hæc adjungit, sperans fore ut imminentem reprehensionem revincat: « Litteras græcas senex didici; quas quidem sic avide arripui quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis [2]. »

1. *De Senectute*, I, 3. — 2. Ibid., VIII, 26.

His in libris ubi de philosophia et rhetorica disserit, quoties Cicero latinum verbum conquirit græco par, quod idem valeat, quotiesve cogitur unum græcum pluribus latinis assequi et adæquare, toties, ut mente concipias quodnam externum latino convertatur, latino græcum etiam subtexere solet, uno et eodem fere modo introducens : « Quam, quem, quos, quæ Græci appellant, vocant, nominant, dicunt [1]. » At qui in epistolis *ad Atticum,* et *ad Familiares* insunt græci loci romanum sermonem græcis vocibus exornant omissa omni excusatione tanquam supervacanea, et interpretatione omni rejecta tanquam acerba.

Non autem promiscue ad omnes familiares litteras dum conficit, græcis verbis latinitatem suam distinguere Cicero solet. Ab his abstinet, exempli causa, quoties ad Cælium, quanquam sibi amicissimum, aut ad Servium Sulpicium, quanquam doctrina omni eruditum, litterularum aliquid exarat. Immo ad unum et eundem virum missæ epistolæ, modo græcis verbis plurimæ referciuntur, modo plures omnino carent, velut ad Cassium aut ad Atticum. Antequam requirimus causas cur græcas voces tunc devitet hic noster, nos profiteri libet vel minimas esse causas vel penitus et in longum absconditas eas sæpenumero visas, vel etiam nullas. Non desunt tamen rationes quædam, quibus, nisi fallor, intelligere queas, cur his exteris vocabulis sibi interdixerit Cicero.

Ab illis vocibus eum abhorruisse in septem epistolis secundi libri *ad Curionem* scriptis, non jam admirabitur, qui hunc *Bruti* locum in memoriam revocaverit :

« Litterarum admodum nihil sciebat [2]... Neminem cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum enim poetam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat [3]. »

Ad uxorem quoque Terentiam quando epistolia remittit M. Tullius fere nullum græcum dictum includit, quippe quæ

1. Boltzenthal, *de Græci sermonis proprietatibus, quæ in Ciceronis epistolis inveniuntur.* (Cüstrin, 1884, 1-11), p. 1.
2. *Brutus,* LVIII, 210.
3. Ibid., 213 et 214.

ex Græcis servis rationes et fœnora potius quam apud græcos scriptores doctrinas et linguam edidicerit et sit commentata.

Cælius quidem, qui cultum et morem suum ad nova exempla conformabat, fere nusquam nisi mera latinitate utitur. Hujus decem et septem epistolæ ad Ciceronem missæ unum aut alterum inane verbum tantummodo a Graiis mutuantur; nonne conjectura assequi possumus illum non ita græca lingua fuisse eruditum ut ad M. Tullium conscribens plurimas dictiones græcas inserere posset? At Cicero græce loquebatur cum Varrone; cum illo non doctissimo solum, sed et scientiarum magistro et quasi pædagogo, come atque urbanum erat fieri ipsum Ciceronem jocosum pædagogum. Pusillas has litterulas attende, quibus M. Tullius, possitne Varro venire ad epulas nec ne, graviter facetus sciscitatur : « Περί δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter, si venturus es, scito necesse esse te venire : sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων est te venire. Nunc vide utra te κρίσις magis delectet, Chrysippi an hæc quam noster Diodotus non concoquebat. Sed de his etiam rebus otiosi cum erimus, loquemur : hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν est[1]... »

Ii sunt ἑλληνιζόντων virorum joci serii, eæ severæ veneres. Quod si colloquens cum T. Pomponio, qui plurimam ætatem Athenis traduxerat, qui sic græce loquebatur ut Athenis natus videretur[2], qui denique cognomen ipsum Athenis deportaverat, importatis floribus romana creberrime conspersit, Attico M. Tullius atticis ornamentis pergratus futurus erat, ad ejusdem consuetudinem accommodabat suam, eique Athenarum filiolo, quoniam adoptivam ejus linguam ipse etiam asciscebat, amice morem gerebat.

Quoties ad aliquem ex familiarissimis epistolam conficit, dummodo non scientiarum græcarum is expers sit, quotiesve apud aliquem ita intimum se fecit ut cum eo vere familiares litteras conferat, toties personam exuit nec jam sustinet ejus qui sermonem et scriptores romanos exteris anteponit, et sese nudatum indicat, qui scilicet Homeri, Sophoclis, Euripidis carminibus memoriam exornaverit suam, atque Thucy-

1. *Ad Famil.*, IX, 4. — 2. Corn. Nepos, *Atticus*, IV.

didis, Platonis, Aristotelis, ceterorum philosophorum et historicorum effata adamet et in promptu habeat.

Quamobrem epistolæ et ad P. Lentulum scriptæ, et ad Serv. Sulpicium, et ad M. Claudium Marcellum, et ad A. Torquatum, et ad Q. Leptam his indiciis familiarissimæ consuetudinis aut omnino aut fere carent. Quos clarissimos viros, in re publica præpotentes, observabat, et quasi commilitones in iisdem pro libertate dimicationibus et prœliis colebat, non iis amicissimis licentius utebatur. Quando autem Q. Tironi suo, humanissimo et optimo viro, salutem dat, vel si quando de valetudine ejus sollicitatur, tunc superfundunt græcæ voces et de stylo gregatim erumpunt :

« Indulge valetudini tuæ... Ea quid postulet non ignoras : πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας[1]. »

Cum P. Dolabella, genero suo, severitatem excutit, eique libenter arridet, quanquam non habet quod scribat « nisi eum a se mirabiliter amari[2], » nec non græcas voces per epistolia sua spargit. Volumnio Eutrapelo, qui « sine prænomine familiariter, ut debebat, ad Ciceronem epistolam miserat » respondet, eandem vel similem licentiam sibi sumens, scilicet latina verba græcis varians.

Tertius litterarum liber *ad familiares* scriptarum totus Appio Pulchro conceditur, ex quo nullæ ne unum quidem alienigenum vocabulum ostendunt, nisi septimæ. Postquam enim Appius Pulcher questus erat quod sibi Romam decedenti obviam non prodiisset Cicero, accuratissime hic noster se purgat, et ejus εὐγένειαν collaudat. Eum tamen liberat cura ista bene agendi erga se :

« παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,
οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητιέτα Ζεύς.

« Si autem es natura φιλαίτιος, illud non perficies quo minus tua causa velim... Hæc ad te scripsi liberius, fretus conscientia officii mei benevolentiæque meæ[3]. » Nempe M. Tullius ipse nos docet se græca usurpare cum « liberius scribat. »

1. *Ad Famil.*, XVI, 18. — 2. *Ad Famil.*, IX, 10. — 3. Ibid., III, 7, 6.

Ad illum vero quem non amicissimum modo vel familiarissimum Ciceroni dixeris, sed etiam partem ejus dimidiam congruenter appellaveris, quando affatur hic noster, onus et molestiam reponit, neque in his epistolis morem aliena verba evitandi retinet, quin etiam plura in posterioribus quam in prioribus profundit, velut si eo frequentiora ea sint quo conjunctior fiat amicitiæ necessitudo.

Etiamsi et litterato et familiarissimo cuidam conscribit, non sine ulla intermissione omnes epistolas græcis dictis illuminat : ea demum est jocosi animi lascivia, is est festivi sermonis lepor, quales persœpe exstabant M. Tullii animus et sermo. Qui duriore quadam fortuna cum conflictatus esset, sic ad Atticum gemebat :

« Solitudo aliquid adjuvat, sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses, quæ mihi una causa est hinc discedendi; quanquam id ipsum doleo : non enim jam in me idem esse poteris. *Perierunt illa quæ amabas,* » videlicet non jam in ipso inerant multæ illæ facetiæ et perpetua hilaritas quibus amicus gaudebat. Quare si forte summa quadam lætitia gestit et exsultat, protinus surgere græca illa verba videas.

« O suaves epistolas tuas, uno tempore mihi datas duas! Quibus εὐαγγέλια quæ reddam nescio... » Sequuntur, quanquam breviores sunt litterulæ, plurimæ voces quas ex græco sermone propter festivitatem suam mutuatur.

At in difficillino rerum statu et in extremo quodam discrimine, rerum asperitates expellunt jocos et facetias, et una simul græcum sermonem fugant. Permultis græcis vocibus exornantur epistolæ quinti decimi libri ab U. C. 704 et 709 ad Cassium missæ; ne una quidem duodecimi libri ab U. C. 710 et 711 ad eundem scriptæ litteræ. Etenim cum, Cæsare interfecto et sublato rege, regnum superesset, res publica perturbabatur, et M. Antonio nimis potente facto iterum liberanda erat civitas : servandi erant ii qui cives suos servaverant! Nec ratione alia cum ex sedecim libris ad Atticum ceteri omnes græcis locutionibus adeo referciantur ut nulla fere epistola non stellis illis illustretur, unus liber totus omni græco ornamento caret, et, ut ita dicam, nudatur, tertius scilicet. Is ex litterulis constat quas vir consularis exsilio mulctatus misit cum non Romæ modo delicias, neque rem

familiarem desideraret, sed — quæ quidem una instar omnium illi erat — gloriam et laudem et quasi vivendi causas amissas doleret et defleret. Quæ non epistolia videntur, sed gemitus et singultus audire credas :

« Utinam illum diem videam, cum tibi agam gratias, quod me vivere coegisti! Adhuc quidem valde me pænitet. »

Cum illo fletu, in una ex primis epistolis edito, ille congruit qui tertium librum concludit : « Ex tuis litteris et ex re ipsa nos funditus periisse video. »

Hac in mœstitia quis jam græcorum nominum lasciviæ locus restat?

De epistolis post Tulliam mortuam confectis, primo discutiendum est quoddam impedimentum. Duodecima duodecimi libri quinque græca vocabula possidet, quæ prima post defunctam filiam composita videtur. Sed a tertia decima usque ad tertiam et vicesimam nulla epistola ullum græcum verbum ostendit; inter sequentes vicesima quinta et undetricesima binas voces græcas includunt. A tricesima sexta usque ad extremam ejusdem libri iterum extraria dicta regrediuntur et ex dolore emergunt. Quem nodum dissolves, si modo perturbatum ordinem, auctore Th. Schichio[1], sic restitueris :

Ep. 13-16, 18, 17, 18a, 19, 20, 12, 21-29, 33, 30, 31, etc.

Quamvis summo mœrore primis temporibus oppressus esset, non ea indole et iis moribus Cicero erat qui altissimam mœstitiam et tristissimum luctum diutissime foveret, et, omni ægritudinum levatione destitutus, tacite nutriret, nisi forte si civilem illam auctoritatem et gloriam funditus periisse intelligeret, quam vita sua multo potiorem existimaret.

Quod si hanc vituperationem iniquam judicaveris, quæ tamen non in unum Ciceronem cadit, sed præsertim cum miseranda quadam hominum infirmitate convenit, in easdem has epistolas, post exanimatam filiolam scriptas, penitus introspicere velis. Asturæ in solitudine « litteris non difficilius utor quam si domi essem[2]. » — « Feci quod

1. In *Comm. II ad epp. ad Atticum.* Locus a Bootio laudatus, p. 520, in editione *epp. ad Atticum.* — 2. *Ad Att.*, XII, 13, 1.

profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer; quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. Affirmo nullam Consolationem esse talem. Totos dies scribo [1]. ». — In ea (solitudine) omnis sermo est cum litteris [2]. » — « Me scriptio et litteræ non leniunt sed obturbant [3]. »

Qui scriptor dolore oppressus luctum ad gloriæ suæ commodum se torturum sperat et jam torquet, quantusvis suus ipsi videtur mœror, cave ne simplex credideris eum nulla cogitatione infelicitatem suam miscere : dulcedo quædam in amarum istud subrepit, unde nescio quid oritur γλυκύπικρον. Qui Consolationem sibi componit, non is jam eget Cosolatione.

Molesta igitur orbo parenti facta est solitudo. « Nunc ... ipsum sine te esse non possum [4]. » Tunc consilium in animo volvit, quod doloris non ingravescentis est, sed sublevandi et reponendi.

« Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam (Tulliam) consecrabo omni genere monumentorum ab omnium ingeniis sumptorum et Græcorum et Latinorum [5]. »

Dilectissimæ filiæ memoriam fano colere statuit : quæ ἀποθέωσις mortem devincet, et quasi æternam animam mortuæ restituet, ut non jam exanimem eam deflere, sed immortuam collaudare et revereri patrem deceat.

Abiit luctus, græca redeunt : sequens enim epistola, ordine duodecima, quinque græcas voces sibi assumit. Falsus quidem M. Tullius fuerat vates, qui de monumento illo providebat :

« Quæ res forsitan sit refricatura vulnus meum [6]. » Immo clausura.

Fere universa omnium eruditorum virorum consuetudo ea Romæ fuit græcis locutionibus sermonem illustrandi, quisquis erat is quocum colloquebantur vel ad quem litteras mittebant. Plurimi vero, et ii litteratissimi homines, in eo gloriabantur quod temere et inconsulte græcas illas divitias

1. *Ad Att.* XII, 14, 3. — 2. Ibid., XII, 15. — 3. Ibid., XII, 16, in fine. — 4. Ibid., XII, 16, in medio. — 5. Ibid., XII, 20. — 6. Ibid., XII, 18, 1.

ingenii sui egestati, non patrii sermonis paupertati adhiberent, quanquam in senatu vel ad populum agentes se græcarum doctrinarum rudes contemptores simulabant. Imperator ipse Augustus græca interdum usurpat, ad Tiberium et ad Liviam conscribens [1].

M. Tullii epistolæ, quæ nobis de hac quæstiuncula disserentibus præcipuum ordinem inter cetera opera obtinent, virorum doctissimorum ingenio et diligentia recognitæ, innumeris vitiis jam purgatæ exstant. Ex quibus criticis Malaspinam, Bosium, Lambinum, et Ernestum, Schuetzium, Orellium, Wesenbergium, Klotzium, Bootium, denique Mueckium, pleraque illustria nomina, enumerare satis est. « Haud scio an nullum antiquitatis monumentum pluribus ac gravioribus mendis deformetur » quam hæ litteræ [2], aït Mueckius. Græci in primis loci pessime corrupti fuerunt et laceri restant. Librarii enim, sæpissime græca non intelligentes, litteras misere perturbaverunt, binas et ternas transposuerunt [3], quasdam ante similes aut ejusdem formæ litteras omiserunt [4]. Cum autem unum codicem, qui Ravennæ in bibliotheca Classensi servatur, librarium qui descripsit esset linguæ græcæ peritus, — quod e sincera aliquando scriptura horum locorum apparet, — Simeo Bosius non dubitavit quin ingenio vel fraude hunc codicem conturbaret; exempli causa, e ficto Bosii codice, invito Classensi, in decimam quinti epistolam irrepsit ἄνω κάτω, cum Cicero latine locutus esset : « sursum deorsum [5]. »

Quare sæpius de loco desperato plura conjecerunt et excogitavernt doctissimi critici, qui nihil quidem non vituperandum invenerunt, at certe aliquid quod nullo labore lector intelligeret. Quid lateat sub corruptela codicis ΕΚΙΤΑΟΝΟΝ adhuc incertum est [6]. Quid sub NOMANAPIA [7]? Quid sub ΟΤΕΝΑΥΣΑΝΘΡΑΚΕΣ [8]? Quid sub ΤΟΕCΤΟΥΟΥ? Quæ ad vitia emendanda tres varias et planas lectiones conjectaverunt

1. Suet., *Tib.*, 21; *Claud.*, 4. — 2. Muecke, *l. l.*, p. 1. — 3. Ibid., pp. 1 et 2. — 4. Ibid., p. 10. — 5. *Ad Att.*, V, 10, 5. — 6. Ibid., X, 13, 3. — 7. Ibid., V, 11, 7. — 8. Ibid., XV, 15, 1.

acutissimi homines tres. Quin etiam ad barbarismum ῥιξόθεμιν[1] delendum, duo vocabula Bosius et Gronovius creaverunt quæ nunquam græca exstiterunt, quippe quorum exemplum ex græcis auctoribus desumptum adhuc desideramus.

Plurimas vero corruptelas emendare desperatas argututi viri nequiverunt, aliquando etiam obscuriora pæne sunt quæ supponuntur quamquæ inscius librarius perturbavit, velut ΠΟΡΠΑΠΥΜΝΑ[2], velut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς[3].

Sub has litteras ΟΥΣΟΙΜΡΙΣΑΜΑΦΙΗΙ, in decima octava quarti libri epistola, Bootius ipse exclamat, quem semel confitentem habemus :

« Quæ adeo obscura sunt ut Cicero nobis ab inferis excitandus esset, ut quæ scripserit explicaret ! »

Quoniam aliquot verba incomposita adhuc in græcis locis restant, requirentibus nobis quonam modo M. Tullius græca lingua usus esset, negligenda ea fuerunt, ne quid ruinosum labantibus fundamentis superstrueremus. Deficientibus igitur litis nonnullis instrumentis, et tanquam testibus, neque rem totam perquirere, neque sententiam omnibus argumentis suis fretam afferre nos licuit.

Præterea non cujusque græci vocabuli exempla, ex auctoritate græcorum scriptorum desumpta, nobis occurrunt, quandoquidem plurimæ divitiæ litterarum antiquarum in æternam noctem sunt obrutæ : qualia sint et ex quo fonte sint hausta quædam Ciceronis verba nonnunquam ignoramus.

1. *Ad Att.*, XIV, 10, 3. — 2. Ibid., IV, 18, 1. — 3. Ibid., IX, 10, 2.

TERTIUM CAPUT.

DE GRÆCI SERMONIS TULLIANI PROPRIETATIBUS.

Quod genus græce dicendi proprium sit Ciceronis plane exponere conatus est Rudolfus Boltzenthal, cujus animadversiones sic breviter contrahimus [1].

Communem esse epistolarum consuetudinem compertum est, ut sermone cotidiano magis utamur quam in alio quoque libro, et eas cotidianis vocabulis texere soleamus. Quamobrem, ut latini sermonis in litteris multæ dictiones leguntur, a quibus M. Tullius alibi declinavit, ita græci nonnullas delegit et recepit non poeticas solum, sed etiam aliquando maxime tritas aut omnino inusitatas ac novas [2].

Inter locutiones ex notissimis Ciceroni carminibus excerptas, nunquam autem vel antea, vel postea, orationi solutæ adhibitas — quæ quidem usque ad ætatem nostram forte pervenerint — referendæ sunt eæ :

Ἐπίκωπος, navis quæ remis agitur [3].

Ἐνδόμυχον, arcanum de re domestica [4].

Ξυνάορος, conjux [5].

Antiquitatem redolere eidem auctori videntur voces :

Δάμαρ, uxor [6].

Λέσχη, confabulatio [7].

1. *De Græci sermonis proprietatibus, quæ in Ciceronis epistolis inveniuntur.* Scripsit Dr. Rudolfus Bolzenthal. Cüstrin, 1884, 1-11.

2. *L. l.*, p. 3. — 3. *Ad Att.*, V, 11, 4. — 4. Ibid., V, 14, 3; 21, 4. — 5. Ibid., VI, 5, 1. De βατταρίζειν, de γλυκύπικρος, de λαλαγεῦσα, vide eumdem, p. 3. — 6. *Ad Att.*, VI, 4, 3. — 7. Ibid., XII, 1, 2. De verbis ἀρήγειν, ὀπαδοί et νεμεσᾶν, vide eumdem, p. 4.

Anastrophe præpositionis περί, ex poetico usu sumpta est : τῆς ἐλευθερίας πέρι[1] ; et tmesis : ὑπό τι πεφυρακέναι[2].

Multa in Ciceronis epistolis insunt, quorum exempla græci scriptores nulla præbent[3]. Ex quibus nonnulla quidem per ludum et jocum ad exemplaria græca finxit :

Ἀδικαίαρχοι, injusti magistratus, neque Dicæarcho digni[4].

Τρισαρειοπαγῖται, eximii Areopagitæ[5].

Φαλαρισμός, Phalaridis imitatio[6].

Ἀππιάς, cognomen Minervæ a Cicerone creatum[7].

Σηστιωδέστερον, magis Sestii more[8], quod ad imaginem vocis « στασιωδέστερον » effictum crediderim.

Plura autem verba juncta, non tantum ex usu vulgari sumpta, sed etiam ea quæ in unis epistolis reperias :

Γυμνασιώδης, gymnasio aptus[9].

Ἐντυραννεῖσθαι, sub tyranno esse[10].

Ἀφιλόδοξος, ambitione vacans[11].

Συμφιλοδοξοῦσιν, simul gloriæ meæ inserviunt[12].

Φιλένδοξος, illustres viros qui amat[13].

Φιλοπροσηνέστατα, benignissime et suavissime[14].

Ἐξακανθίζειν, vitia tanquam spinas vellere et colligere[15].

Φαινοπροσωπεῖν, vultum ostendere[16].

Ἀπολιτικώτατον, civilis gubernationis maxime expertem[17].

Ἀναπάντητος, remotus ab omni occursu[18].

Μακροψυχία, affectio animi longinqua spectantis[19].

Πλουδοκῶν, navigationem commodam exspectans[20].

Ἀγοητεύτως, sine præstigiis et fuco[21].

Μουσοπάτακτος, Musarum amore percussus[22], etc.

1. *Ad Att.*, IX, 4, 2. — 2. Ibid., VI, 5, 1 ; *L. l.*, p. 4.

3. De verbis ἀλύειν, προθεσπίζειν, ἀκραής, μεθαρμόζειν, μείλιγμα, ὑπηνέμιος, φλύαρος, εὐαγγελία, φυσιοῦν, αὐτότατα, προσφωνεῖν et προσφώνησις, vide eumdem, pp. 4 et 5.

4. *Ad Att.*, II, 12, 4. — 5. Ibid., IV, 5, 4. — 6. Ibid., VII, 12, 2. — 7. *Ad Fam.*, III, 1, 1.

8. *Ad Att.*, VII, 17, 2. De verbis *tocullio* et *facteon*, vide eundem, p. 5, et de ἀκύθηρος, εὐτραπελία, Κύρου παιδεία, φιλοτιμία.

9. *Ad Att.*, I, 6, 2 ; 9, 2. — 10. Ibid., II, 14, 1. — 11. Ibid., II, 17, 2. — 12. Ibid., V, 17, 2. — 13. Ibid., XIII, 19, 3. — 14. Ibid., V, 9, 1. — 15. Ibid., VI, 6, 1. — 16. Ibid., VII, 21, 1. — 17. Ibid., VIII, 16, 1. — 18. Ibid., IX, 1, 3. — 19. Ibid., IX, 11, 4. — 20. Ibid., X, 8, 9. — 21. Ibid., XII, 3, 1. — 22. *Ad Quint. fr.*, II, 8, 1.

Πεντέλοιπος, qui de quinis superest[1].
Βούλυσις, vespera[2].
Ψευδησιόδειος, quod falso Hesiodo adscribitur[3].
Ἀφομιλεῖν, a consuetudine alicujus separare se[4].

De inusitatis vel pervulgatis dictionibus audacter disserentem Rudolfum Boltzenthal non nisi cunctatione quadam fluctuantes prosequimur, ut qui meminerimus quam exiguus exstet eorum numerus quorum auctoritate fultus et scripta adhuc pervolvens judicium is dicere potuerit.

Alia apud scriptores posteriores ac plerumque leviores inserta sunt, alia in scholiis tantum.

Χρηστομαθής, qui ea didicit quæ hominibus prosunt[5].
Εὐανάτρεπτος, qui facile potest everti[6].
Δυσδιάγνωστος, difficilis dijudicatu[7].
Παριστορῆσαι, obiter discere[8].
Τυραννόκτονος, qui tyrannum cecidit[9].
Ἀνηθοποίητος, in quo mores conformari et effingi nequeant[10].
Ἀνθηρογραφεῖσθαι, floride scribi et ornari[11].
Οἰκοδεσποτικά, patrisfamilias officio quæ conveniunt[12].
Ἀνεμοφόρητα, levia ac ventis dissipata[13].
Φιλοτέχνημα, opus studiose elaboratum[14].
Κεκέπφωμαι, animo suspenso huc illuc impellor[15].
Ἐπισταθμία, curatio hospitii[16].
Εὐρίπιστα, mobilia tanquam Euripus[17].
Ἀκενόσπουδος, abhorrens a studio rerum inanium[18].
Παρεγχείρησις, molitio in alieno opere[19].
Σκιαμαχία, umbratilis pugna[20].
Ἀναντίλεκτος, cui contradici non potest[21].
Εὐθανασία, facilis vel pulchra mors[22].

Quas voces a dialecto profectas præcipue in vulgari ser-

1. *Ad Att.*, XIV, 21, 4. — 2. Ibid., XV, 27, 3. — 3. Ibid., VII, 18, 4. — 4. *Ad Fam.*, XVI, 17, 1. — 5. *Ad Att.*, I, 6, 2. Vide *L. l.*, p. 6. — 6. Ibid., II, 14, 1. — 7. Ibid., V, 4, 1. — 8. Ibid., VI, 1, 25. — 9. Ibid., VI, 4, 3. — 10. Ibid., X, 10, 6. — 11. Ibid., II, 6, 1. —12. Ibid., XII, 44, 2. — 13. Ibid., XIII, 37, 4. — 14. Ibid., XIII, 40, 1. — 15. Ibid., XIII, 40, 2.— 16. Ibid., XIII, 52, 2. —17. Ibid., XIV, 5, 2. — 18. *Ad Fam.*, XV, 17, 4. — 19. Ibid., XV, 4, 3. — 20. *Ad Fam.*, XI, 14, 1.—21. *Ad Quint. fr.*' II, 8, 1. — 22. *Ad Att.* XVI, 7, 3.

mone admissas esse verisimile est. « Nec minus in usu adverbiorum, ex opinione et verbis ejusdem [1], sermo cotidianus cernitur. » Nam adverbiis orationem distinguendi consuetudo est familiaris huic dicendi generi quod cuivis epistolas componenti placet. Quare factum esse eidem videtur ut Cicero non modo in latina lingua libertatem majorem licentiamque adverbiorum sibi permitteret, sed græca quoque adverbia sibi concederet, quibus Graii aut abstinuerint aut raro sint usi :

Γενικῶς, generaliter [2].
Εὐστομάχως, bono stomacho, fortiter [3].
Αὐθεντικῶς, certo auctore [4].
Ἀκολακεύτως, citra assentationem [5].
Ἀκεραίως, sincere [6].
Ὑπερβολικῶς, supra veritatem [7].
Ἀποτόμως, acerbe, medicorum modo qui secant et ἀπότομοι dicuntur [8].
Ἐμφατικώτερον, cum majori significatione [9].
Ἡμερολεγδόν, ut quæque singulis diebus acciderunt [10].
Συμπαθῶς, cum animi commoti significatione [11].
Λεληθότως, sensim, latenter [12].
Πεπινωμένως, docte et perpolite [13].
Ἀκοινωνήτως, minium familiariter [14].
Ἀγοητεύτως, sine præstigiis [15].

Comparativorum usum et superlativorum, qui in populari sermone frequentissimus sit, vulgaris consuetudinis præcipue proprium esse idem auctor contendit [16]. Quas inter formas plures in unis epistolis repositæ fuerunt, velut :

Ἀπολιτικώτατος, civilis gubernationis maxime expers [17].
Ἀστρατηγικώτατος, artis imperatoriæ maxime ignarus [18].
Ἀπρακτότατος, rebus agendis ineptissimus [19].

1. *L. l.*, p. 9. — 2. *Ad Att.*, I, 14, 2. — 3. Ibid., IX, 5, 2. — 4. Ibid., IX, 14, 2. — 5. Ibid., XIII, 51, 1. — 6. Ibid., XV, 21, 2. — 7. Ibid., VI, 21, 7; VI, 2, 4. — 8. Ibid., X, 11, 5. — 9. *Ad Brutum.*, I, 1. 1. — 10. *Ad Att.*, IV, 15, 3. — 11. Ibid., V, 11, 7. — 12. Ibid., VI, 5, 3. — 13. Ibid., XV, 16 a, 1. — 14. Ibid., VI, 1, 7. — 15. Ibid., XII, 3, 1. — 16. *L. l.*, p. 10. — 17. *Ad Att.*, VIII, 16, 1. — 18. Ibid. — 19. Ibid., I, 14, 6.

Γεροντικώτερος, senilior[1].
Φιλολογώτερος, eruditior[2].
Θετικώτερον, subtilius[3].

Quidquid id est, etiamsi quando cautissimam prudentiam disserenti Rudolfo Boltzenthal defuisse censueris, aliquam in usurpandis, sumendis, fingendis, renovandis græcorum scriptorum vocabulis libertatem sibi M. Tullium vindicavisse haud curiosa felicitate, constat et consentaneum est.

1. *Ad Att.*, XII, 1, 2. —2. Ibid., XIII, 12, 3. — 3. *Ad Quint. fr.*, III, 3, 4.

QUARTUM CAPUT.

DE CICERONE, INTER VERBA IDEM SIGNIFICANTIA, GRÆCUM, NON LATINUM, ELIGENTE.

Illam disputationem, de proprietatibus tulliani græci sermonis, in breve coegimus, quoniam ex illa de ingenio Ciceronis nihil concludere possis, quod multo planius et vividius non adspicias, si latinæ linguæ usum tullianum exploraveris et mente circumspexeris. Nunc autem aliud quodpiam majus jam nobis destinatum, quibusnam scilicet rationibus ductus hæc aut illa græca in domum suam receperit noster, quem fructum capturus, sive ad ornandam orationem, seu ad confirmandam. Cum latino sermone certamen de brevitate, subtilitate, robore, joco, colore græcus instituit. Nonne ex illo concursu, ex illa contentione et collatione quodammodo apparebit cur et quomodo ex duabus his germanis linguis hæc ab illa discordet et aliquando abhorreat, quantam vero pecuniam altera sumpserit ex altera ?

De quibus omnibus antequam disceptamus, complures notandi et longe a proposito repellendi videntur loci, in quibus M. Tullius græcas voces jocandi causa præoptavit, quanquam suppeditabant patriæ, et eæ communes, quarum vis et sensus græcis persimilia exsistebant. Cujus inanis consuetudinis multiplicia erunt exempla, ne quis semper optimum vel necessarium vel fructuosum fuisse apud Ciceronem usum harum extrariarum dictionum falso opinetur.

Ἀποτρίβομαι, abstergere, translate auferre : « Aliquando ἀπότριψαι quartanam istam diligentia, quæ in te summa est[1]. »

1. *Ad Att.*, VII, 5, 5.

Cf. ad Quint. « Consolabor te, et omnem *abstergebo* dolorem[1]. »

Γενικῶς generaliter. « Locutus ita in senatu est, ut omnia illius ordinis consulta γενικῶς laudaret[2]. » — Cf. « Nam ipsum quidem *generaliter* definire difficile est[3]. »

Δύσχρηστα incommoda. « Devium est (Tusculanum) τοῖς ἀπαντῶσιν et habet alia δύσχρηστα[4]. »

Εἰ δὲ μή sin minus. « Si possum discedere..., ego satisfaciam... εἰ δὲ μή, ... malo...[5] »

Ἐξοχή excellentia. « Ἐξοχή in nullo est : pecunia omnium dignitatem exæquat[6]. » — Cf. « Animi excellentia et magnitudo[7]. »

Ἐπὶ σχολῆς otiose. « Omnia, quemadmodum polliceris, ἐπὶ σχολῆς scribe[8]. »

Ἔρανος collecta. « Quod autem os, in hanc rem ἔρανον a te[9]? » — Cf. « Collectam a conviva exigere[10]. »

Εὐκαιρία, opportunitas, occasio. « O Brute, ubi es? quantam εὐκαιρίαν amittes[11]! »

Εὐμένεια benevolentia. « In reprehensione est prudentia cum εὐμενείᾳ[12]. »

Κοινότερα communiora. « Ad Dolabellam, ut scribis, ita puto faciendum, κοινότερα quædam et πολιτικώτερα[13]. »

Κολακία adulatio. « Quod aliud argumentum epistolæ nostræ (ad Cæsarem) nisi κολακίας fuit[14]? »

Ὁ πλοῦς ὡραῖος navigatio tempestiva. « Egregie probo, fore ut, dum vagamur, ὁ πλοῦς ὡραῖος obrepat[15].

Ὄργανον, instrumentum. « Plane jam, Brute, frigeo. Ὄργανον erat meum senatus : id jam est dissolutum[16]. »

Προκοπή progressus. « Tandem a Cicerone tabellarius, et mehercule litteræ πεπινωμένως scriptæ : quod ipsum προκοπὴν aliquam significat[17]. » — Cf. « Philosophiæ principes nun-

1. *Ad Quint. fr.*, 2, 10. — 2. *Ad Att.*, I, 14, 2. — 3. *Invent.*, I, 26. — 4. *Ad Att.*, VII, 5, 3. — 5. Ibid., I, 16, 4. — 6. Ibid., IV, 15, 7. — 7. *De Off.*, I, 5. — 8. *Ad Att*, II, 5, 3. — 9. Ibid., XII, 5, 1. — 10. *Or.*, 2, 57. — 11. *Ad Att.*, XVI, 8, 2. Cf. *de Fin.*, III, 14, 45, et *de Off.*, I, 40, 142. — 12. *Ad Att.*, XVI, 11, 1. — 13. Ibid., XIII, 10, 2. — 14. Ibid., XIII, 27, 1. — 15. Ibid., IX, 7, 5. — 16. *Ad Famil.*, XI, 14, 1. — 17. *Ad Att.*, XV, 16 a.

quam in suis studiis tantos *progressus* sine flagranti cupiditate facere potuissent[1]. »

Πολυδεύκους Pollucis. « In illa autem statua quæ est ad Πολυδεύκους hercule inscriptum est cos[2]. » Et alia hortantur ad paululum immutandam Πολυδεύκους vocem, et præsertim quod non liquet cur « Πολυδεύκους », non « Pollucis » dixerit, immo subabsurdum videtur, quandoquidem de romanis ædibus res est. Quare Bootio assentimur qui sic mendam purgat : « In illa autem quæ est ad Πολυκλέους Herculem, inscriptum est cos. »

Σπουδαῖον serium. « Σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλόλογα multa[3]. »

Τὰ κεφάλαια capita, summæ et præcipuæ partes alicujus libri. « Ego autem et ejus (Posidonii) libros arcessivi, et ad Athenodorum Calvum scripsi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret[4]. » Cf. « Non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarius[5]. »

Τὰ ὅλα tota. « Tu tamen vide quid de adventu meo censeas, et τὰ ὅλα, cras si perspici potuerint, mane statim ut sciam[6]. »

Τεκμηριῶδες signum. « Hoc illi τεκμηριῶδες videbatur esse alienationis[7]. »

Τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς, præsentem rei publicæ statum summatim (scilicet mihi describas).

« Illud etiam atque etiam te rogo τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς, ne istuc hospes veniam[8]. »

Ὑγιές sanum. « Servium exspecto, neque ab eo quicquam ὑγιές. Scies quicquid erit[9]. »

In vicesima secunda quarti decimi libri epistola, hæc leguntur : « Φαινοπροσωπητέον ergo et ἰτέον in castra ? Milies mori melius huic præsertim ætati[10]. » Cur ἰτέον, non eundum dixerit Cicero, ea forsitan sit causa : concinnitatem illam verborum consectatur, in quibus sive casus in exitu similes sunt, sive paribus paria adjunguntur et similiter definita,

1. *Tusc.*, 4, 19. — 2. *At Att.*, VI, 1, 17. — 3. Ibid., XIII, 52, 2. — 4. Ibid., XVI, 11, 4. — 5. *Brutus*, 44. — 6. *Ad Att.*, XIII, 40, 2. — 7. Ibid., VII, 4, 2. — 8. Ibid., IV, 13, 2. — 9. Ibid., X, 12 a, 3. — 10. Ibid., XIV, 22, 2.

itemque contrariis relata contraria, « quæ, sua sponte, etiamsi id non agas, cadunt plerumque numerose [1]. »

Hoc autem in loco : « Cum ita simus affecti ut non possimus plane simul vivere — intelligis enim profecto in quo maxime posita sii συμβίωσις — facile patiebar nos potius Romæ una esse quam in Tusculano [2], » non dubium est quin, sicut forte in quibusdam præteritis, vividius nescio quid significare voluerit, verbo græco συμβίωσις utens, quam latino « convictus ». Quam autem vim in illud injecerit Cicero non mihi videre videor, nisi probaveris eum græcam appellationem prætulisse quam celebravissent philosophi græci et confirmassent.

Aliquando enim quædam græca vocabula appetit et sibi adhibet quibus sæpissime usi sunt sapientes, ut ea, præclara consuetudine consecrata, doctrina omni et virtute scientiarum impleri videantur. At latina verba non illa philosophico lumine illustrantur, sed vulgari et communi colore fucantur, quanquam unum et idem duo significant :

'Αθέτησις improbatio. « 'Επέχειν te scribebas : quid erat dubitatione dignum, si esset quicquam cur placeret fratrem et talem fratrem relinqui ? ἀθέτησις ista mihi tua, non ἐποχή videbatur [3]. »

Αἵρεσις secta. « Tento... te quo animo accipias. Si enim stomachabere et moleste feres, plura dicemus postulabimusque, ex qua αἱρέσει... dejectus sis, in eam restituare... In ista ipsa αἱρέσει metuo ne plus nervorum sit quam ego putaram, si modo eam tu probas [4]. »

Πάθος perturbatio. « Quare obduretur triduum, ut te quoque ponam in eodem πάθει, quod ita est profecto [5]. » Cujus verbi vim et sensum crebro ut definiret et describeret noster operam dedit [6].

Quibus in omnibus locis non necessitas Ciceronem coegit, cum latina dictio ei suppeditaret, aliunde ex græco populo desumere, sed græcarum litterarum studium et amor suasit.

1. *Or.*, 52, 175. — 2. *Ad Att.*, XIII, 23, 1. — 3. Ibid., VI, 9, 3. — 4. *Ad Fam.*, XV, 16, 3, ad Cassium, Epicuri ex grege unum. — 5. *Ad Att.*, XII, 3, 1. — 6. *Tusc.*, III, 4, 7 ; 10, 23 ; IV, 5, 10 ; IV, 6, 11 ; *de Fin.*, III, 10, 35 ; *de Off.*, II, 5, 18.

Et T. Pomponius ipse atticis vocabulis, jocandi causa, temere et inconsiderate romana contexebat. Cum enim diuturna et cotidiana consuetudo effecisset ut Atheniensium lingua per adoptionem patria Attico fieret, scribenti ei currente calamo obviam concurrebant græca et latina passim verba. Inter quæ hoc aut illud seligere et dijudicando alteri anteponere, neque otium erat neque operæ pretium. Inde fluxerunt et irrepserunt plurima ex græca lingua ab Attico excerpta, quanquam nomina idem significantia in Romano sermone inerant :

'Αδόλεσχος garrulus. « Quod vereris ne ἀδόλεσχος mihi tu, quis minus? Cui, ut Aristophani Archilochi iambus, sic epistola tua longissima quæque optima videtur[1]. » Quod vocabulum ἀδόλεσχος ex Attici epistola carpsisse Cicero videtur, id noli latino « garrulus » præponere. Garrulus enim adjectivum verbale est a « garrio », quod proprie de avibus dicitur, quæ canendo strepunt : « garrula... hirundo[2]. » Qua translatione ornatur romanum, cum proprium sit ac nudum græcum ἀδόλεσχος.

'Αλογίστως stulte. Epistolarum Attici volumen evolvens Cicero earum partem in suam perscribit : « ... Quod si iste Italiam relinquet, faciet omnino male, et, ut ego existimo, ἀλογίστως... Tantummodo Cnæus noster ne, ut Urbem ἀλογίστως reliquit, sic Italiam relinquat[3]. »

'Ασμένιστος gratissimus. « Confido igitur adventum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, ut scribis ἀσμένιστον fore[4]. »

Γεροντικόν senile. « Sed quod scribis « igniculum matuti« num γεροντικόν », γεροντικώτερον est memoria vacillare[5]. » Ex quibus non comparativum gradum ego quidem hic adesse miror, qui præcedenti positivo alludit, sed id ipsum positivum adjectivum a Pomponio fuisse usurpatum.

'Εν ἐπιτομῇ summatim. « Quæ cognosce ἐν ἐπιτομῇ, quod concedis mihi proximis litteris[6]. »

'Εργῶδες laboriosum, ἀνεκτόν tolerandum. « Est illud quidem ἐργῶδες, sed ἀνεκτὸν mihique gratissimum[7]. » Cf. Bootii

1. *Ad Att.*, XVI, 11, 2. — 2. Virg., *Georg.*, IV, 307. — 3. *Ad Att.*, IX, 10, 4. — 4. Ibid., IX, 10, 9. — 5. Ibid., XI, 1, 2. — 6. Ibid., V, 20, 1. — 7. Ibid., XV, 19, 1.

notulam : quid sit illud quod durum vocat, sed tolerabile sibique gratissimum, ignoramus. Atticus facile quid his verbis vellet Cicero perspexit, si ipse in sua epistola negotium appellavit ἐργῶδες.

Κενός inanis. « Dices nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi, in quo, ut præcipis, nec me κενὸν in expetendo cognosces nec ἄτυφον in abjiciendo[1]. »

Πρᾶξις factum. « Venio ad recentiores litteras... « me facere « magnam πρᾶξιν Dolabellæ ». Mihi me hercule ita videtur... Tibi vero assentior majorem πρᾶξιν ejus fore, si mihi quod debuit dissolverit[2]. » Quod vocabulum inane esset illudque Cicero non rescripsisset, nisi quid obscurum lateret : quid autem id sit non ego introspicio.

Στερκτέον probandum. « Multa disputas huic sententiæ convenientia; inde ad extremum : « Quid si, inquis, Lepidus et « Volcacius discedunt? » Plane ἀπορῶ : quod evenerit igitur et quod egeris, id στερκτέον putabo[3]. »

Τί λοιπόν; quid reliquum? « Illud me, mi Attice, in extrema fere parte epistolæ commovit; scribis enim sic : τί λοιπόν; deinde me obsecras amantissime ne obliviscar vigilare[4]. »

Uter eorum magis mirandus sit incertum est, Atticusne qui supervacaneas opes latino patrimonio inferre velit, cum ejus memoriæ in promptu græca citius accurrant quam romana, an Cicero qui inanes istas amici locutiones et nequaquam requirendas non probat modo, sed et laudat ac rescribit.

Pejorem tamen græcæ linguæ usum quemdam, nec jam vanum vel inutilem, at noxium et exitiosum Ciceroni crimini vertere æquum esset, nisi credidisset ille epistolas suas non esse edendas. Non quod ad usurpandam ex græcis vocem usitatum quoddam et notum verbum ex latinis despiciat. Immo his in locis quos criminari possis nulla dictio, sive ad hunc sensum expromendum, sive ad translationem illam imitatione reddendam, M. Tullio suppeditabat. Sed satis huic erat aut ex adjectivo noto novum adverbium

1. *Ad Att.*, VI, 9, 2. — 2. Ibid., XIV, 19, 5. — 3. Ibid., IX, 10, 7. — 4. Ibid., VI, 1, 20.

gignere, alterumve adjectivum proponendo præverbium *in*, aut ex verbali forma substantivum, aut ex substantivo adjectivum, aut ex proprio nomine translationem. Quæ dicta, quæ figuræ a posterioribus statim scriptoribus in lucem edita sunt, et quanquam ficta nuper fidem habuere, quippe quæ patrio fonte caderent et ad græcorum similitudinem parce essent detorta. Quod si non græcam linguam assumpsisset Cicero, certe maxima optimi viri et clarissimi oratoris auctoritas erat ad commendandas novas dictiones et ad patrium sermonem augendum, quem ornare et locupletare se velle confirmaret.

Ἀδεῶς secure. « Ἐμετικὸν agebat; itaque et edit et bibit ἀδεῶς et jucunde[1]. » Sicut ab « ἀδεής » oritur ἀδεῶς, ita ab « securus » secure. Cf. Suet. : « Neapoli de motu Galliarum cognovit, adeoque lente et secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem præberet[2]. »

Ἔντεχνος artificialis. « Cetera, quæ sunt a me in secundo libro de oratore per Antonii personam disputata de ridiculis, ἔντεχνα et arguta[3]. » Ex « artifex » ducitur artificialis, quod adjectivum apud Quintilianum est « artificiale genus probationis », id est arte constans, ab arte profectum.

Ἀδιόρθωτος incorrectus. « Tu autem commode feceris, si reliquos (*de Finibus* libros) continueris, ne et ἀδιόρθωτα habeat Balbus, et ἕωλα Brutus[4]. » Cf. : « Nolebam aut obsoletum Bruto aut Balbo inchoatum dari[5]. » Cujus verbi « inchoatum » ea vis est quæ latini « imperfectum », non græci « ἀδιόρθωτος. » Non autem « imperfectum » sed « ἀδιόρθωτον » in animo tenebat, quoniam antea sic locutus erat. « Non sane multa mutavi, sed tamen quædam. » Quare ex vocabulo « correctus » novum hoc adjectivum « incorrectus » cur non prompserit nescio, neque suos Graios imitatus sit qui ab « διορθόω » adjectivum « ἀδιόρθωτος » duxissent. Cf. Ovid. :

Nunc incorrectum populi pervenit ad ora[6].

1. *Ad Att.*, XIII, 52, 1. — 2. *Ner.*, 40. — 3. *Ad Fam.*, VII, 32, 2. — 4. *Ad Att.*, XIII, 21, 4. — 5. Ibid., XIII, 22, 3. — 6. *Trist.*, 3, 14, 23.

Item ἀνέκδοτος ineditus. « Librum meum illum ἀνεκδοτον nondum, ut volui, perpolivi[1]. » Cf. eumdem Ovid. :

Essent et juvenes, quorum quod inedita cura est,
Appellandorum nil mihi juris adest[2].

Quod adjectivum ita ex « edo » proficiscitur, ut ἀνέκδοτος ex ἐκδίδωμι.

Ἀπάντησις occursus. « Quas fieri censes ἀπαντήσεις ex oppidis, quos honores[3] ! » — « Ne ad Urbem ἀπάντησις mea animadvertatur[4]. » — « Mirifica ἀπάντησις et cohortatio[5]. » — Cf. Liv. « Vacuis occursu hominum viis[6]. » Ab ἀπαντάω ἀπάντησις, itemque ab occurro occursus decedit, quod nomen ter Cicero desideravit, nunquam finxit : adeo in procreandis novis vocabulis erat inaudax !

Διάρροια profluvium. « Tanta me διάρροια arripuit, ut hodie primum videatur cœpisse consistere[7]. » Postquam Lucretius « profluvium » usurpaverat pro « fluxione copiosa, » eandem vocem adsciscere pro « ventris resolutione » proclive erat, sicut postea Cels. « Si corpus adstrictum est, digerendum esse; si profluvio laborat, continendum[8]. »

Προσφώνησις nuncupatio, « dédicace. » « Posteaquam hæc cœpi φιλολογώτερα, jam Varro mihi denuntiaverat magnam sane et gravem προσφώνησιν[9]. » Cf. Plin. majorem. « Sed hæc ego mihi nunc patrocinia ademi nuncupatione[10]. »

At contra exstant latinæ voces quas effingere non Ciceroni planum erat, de quibus eum non ego castigari velim.

Αὐτόχθων, indigena. « Αὐτόχθων in homine urbanitas est[11]. »

Ἐνερευθέστερος, rubicundior. « Angebar enim, quod Tiro ἐνερευθέστερον te sibi visum esse dixerat[12]. »

Ἑπταμηνίαιος, septemmestris. « Tullia mea peperit XIV. Kal. Jun. puerum ἑπταμηνιαῖον[13]. »

1. *Ad Att.*, II, 6, 2. — 2. *Pont.*, 4, 16, 39. — 3. *Ad Att.*, VIII, 16, 2. — 4. Ibid., IX, 7, 2. — 5. Ibid., XVI, 11, 6. — 6. *Liv.*, 5, 41. — 7. *Ad Famil.*, VII, 26, 2. — 8. *Lucr.*, 6, 1203. — 9. *Ad Att.*, XIII, 12, 3. — 10. Præf. *Hist. Nat.* — 11. *Ad Att.*, VII, 2, 3. Cf. Virg., 12, 823. — 12. Ibid., XII, 4, 1. Cf. Virg., *Georg.*, I, 297. — 13. Ibid., X, 18, 1. Cf. *Censor. de die Nat.*, 8.

Ἐπιδήμιον, contagiosum. « Siquid habet collis ἐπιδήμιον, ad me cum Tisameno transferamus[1]. »

Λέσχη, confabulatio. « Est profecto quiddam λέσχη, quæ habet, etiam si nihil subest, collocutione ipsa suavitatem[2]. »

Aliquot igitur vitiis exceptis, levis hæc insania græcas opes inconsiderate usurpandi quantas virtutes habeat sic collige : Primo verbum, quod usitatum contempsit Cicero, non ideo ex usu cadit. Si quid forte vel vividius, vel brevius, vel concinnius, in græco inest, cupiditas et desiderium corripiunt Latinos; quo mox facturum est ut vim, brevitatem, concinnitatem illas Graiorum assequantur Romani. Si vero quodam dicto caret patria lingua, quod gignere vel planum vel arduum est, non quidem eam hoc beneficio donat Cicero, at certe civibus suis voluntatem immittit rimas istas obstruendi; quin etiam exemplar græcum ostentat, cujus ad imaginem nova dictio informabitur. Expleant alii desiderium, noster quidem injicit.

1. Ibid., XII, 10. Cf. *Veget.*, *Veterin.*, 1, 14. — 2. Ibid., XII, 1, 2. Cf. Symm., *Ep.*, 9, 84.

QUINTUM CAPUT.

DE GRÆCIS VOCABULIS SENTENTIAM TEGENTIBUS.

Hactenus de M. Tullio diximus græcas voces non ex necessitate sibi assumente, et, quanquam res familiaris suppeditabat æs alienum faciente, nonnullo quidem patriæ linguæ fructu. Hinc jam cum aut utili aut necessaria re cogatur, eum mutuantem cernemus. Quia autem causæ quæ illum ad versuras faciendas a peregrinis impulerunt, vel ad mores, animum, vitam pertinent, vel ad græcæ linguæ præstantiam et excellentiam, hanc quæstiunculam excutientes loquemur de intima M. Tullii natura et indole, nec non de græci illius sermonis et latini ingenio.

Aliquando nihil aliud valent græcæ voces nisi ut sententiam scribentis quodam modo abdant et sensum ejus operiant : nutu enim minore et significatione magis obscura græcæ dictiones opinionem aliquam vel aliquem virum indicare queunt, cum, versibus notis alludentes doctrinisve philosophorum, res et homines demonstrent. Nuntii præsertim, quibus litteras minime fidens mandat Cicero, plurimi erant græcæ linguæ admodum imperiti : sententiam igitur suam, quam utroque sermone exprimere posset, non communi, sed externo sermoni committere, ea erat Ciceroni cautio non maxime secura, attamen prudens et prompta. « Die Rœmer machten jedoch in privaten und vertrauten Mittheilungen, bei Scherzrede oder da, wo man von der einheimischen Dienerschaft nicht gleich verstanden sein wollte, sich der griechischen Sprache hæufig bedienen[1]. »

1. Klotz., *Lat. Stil.*, p. 137.

Quanta et quam justa suspicione Cicero servos a pedibus persequeretur, ex quibusdam epistolarum locis liquet. Postquam Pompeius, Cæsarem reformidans, Italiam deseruerat, Cicero quoque consilium exeundi ex Italia inivit, qui abscessus maxime erat lubricus. Cumis autem retinebatur maris tranquillitatibus, quod venti multis jam diebus non permiscebant. Ibi autem cum eum custodirent Cæsariani omnes et acta ejus vel dicta referrent, hæc ad Atticum mandat :

« Consilium nostrum spero vacuum periculo fore. Nam et dissimulabimus, et, ut opinor, acerrime asservabimur[1]. » Paucis post diebus, « me mirificæ tranquillitates adhuc tenuerunt, atque majori impedimento fuerunt quam custodiæ, quibus asservor... Nam illa Hortensina omnia fuere infantia. Ita fiet : homo nequissimus a Salvio liberto depravatus est. Itaque posthac non scribam ad te quid facturus sim, sed quid fecerim. Omnes enim Κωρυκαῖοι videntur subauscultare quæ loquor[2]. » Qui Corycæi piratis finitimis clam indicabant, quinam mercatores Corycum venissent, quid veherent, quo cursum darent. Igitur quascumque ad Atticum Cicero scripsisset, harum rerum certiores fiebant custodes illi quos significat hic noster. Itaque cum tabellariorum fidem fallacem esse suspicaretur, græce aliquoties, non latine loquebatur, sive inimicis ἀντιπολιτευομένοις, sive uxori avarissimæ Terentiæ et ejus liberto Philotimo diffidebat. De quibus quarta et quinta sexti libri espistolæ extraneis locutionibus, nec brevibus, exarantur.

« Illud præterea μυστικώτερον ad te scribam, tu sagacius odorabere : τῆς δάμαρτός μοι ὁ ἀπελεύθερος — οἶσθα ὃν λέγω — ἔδοξέ μοι πρώην, ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. Δέδοικα δὴ, μήτι νοήσῃς. Εἲς δήπου τοῦτο δὴ περισκεψάμενος τὰ λοιπὰ ἐξασφάλισαι. Non queo tantum, quantum vereor scribere. » Latine autem : Uxoris meæ libertus — nosti quem dicam — visus est mihi dudum ex iis quæ inconsiderate effutiebat, conturbasse rationes ex emptione bonorum tyrannicidæ Crotoniatæ (Milonis qui Clodium interfecit et quem cum ob for-

1. *Ad Att.*, X, 16, 2, ex emendatione Orellii. — 2. Ibid., X, 17 (ed. Boot., not.).

titudinem tum ob nominis similitudinem cum illo Crotoniata comparat.) Vereor igitur, ut senseris. Sane velim hoc solus explores et reliqua in tuto ponas[1]. » Nisi qui extrarias illas dictiones pervolvit et perspexit, nemo intelliget quemnam demonstret Cicero hoc nomine barbarico in prima septimi : Dijungere me ab illo volo : merus est φυράτης, germanus Lartiduis. »

In quinta sexti, plura solito græce perscripsit Tullius : « τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς οὐξελεύθερος ἔδοξέ μοι θαμὰ βατταριζων καὶ ἀλύων ἐν τοῖς ξυλλόγοις καὶ ταῖς λέσχαις ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου. Hoc tu indaga, ut soles ; ast hoc magis : ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου στείχων παρέδωκε μνῶν κδʹ. μηʹ ὀφείλημα τῷ Καμίλλῳ, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κδʹ ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν καὶ εκ των Χερρονησιτικῶν μηʹ · καὶ μνὰς κληρονομῆσαι χμʹ. χμʹ · τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διευθετῆσθαι, πάντων ὀφειλήθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ · τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρὶ, μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι. Ταῦτα οὖν πρῶτον μὲν, ἵνα πάντα σώζηται, δεύτερον δὲ, ἵνα μηδέ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προεκκειμένης ἡμέρας. Ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν, σφόδρα δέδοικα. Καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος καί τι σχεδὸν ελπίσας · ἀπογνοὺς δὲ ἀλόγως ἀπέστη, ἐπειπῶν · εἴκω, αἰσχρόν τοι δηρόν τι μένειν. » Quæ verba R. Mueckii diligentissima opera correcta, sic vertit Bootius :

Ex urbe septicolli proficiscens (Philotimus) Camillo rationes reddidit minarum XXIV et XLVIII, quas debet et se ipsum debitorem minarum XXIV ex bonis Milonis et XLVIII e prædiis Chersonnesiis, (dixitque) ex hereditatibus sibi obvenisse minas bis sexcentas quadraginta : harum autem ne obolum quidem administratum esse, quum omnia debita essent a Kal. februariis : illius autem libertum, cui idem nomen quod erat Cononis patri[2], nihil omnino curasse. Hæc igitur primum cura ut universa serventur ; deinde ut ne usuras negligas quæ a die prædicta currunt. Quot dies illum pertulimus, in magno timore fui. Etenim erat apud nos exploraturus et aliquid sperans, eaque spe destitutus temere abiit obmurmurans : cedo, nam turpe diu manere (et vacuum reverti).

1. Bootius, *ad Att.*, VI, 4, 3. — 2. Timotheum scilicet.

De quibus plurimis vocabulis græcis discernenda videntur ea quæ non ex vulgari aut ex communi usu exhauriuntur, sed ex poetis epicis lyricisve ita excerpta sunt, ut is qui Graiorum tantummodo familiarem sermonem didicerit neque idem litteris græcis sit imbutus, eorum vim non sentiat neque odoretur : τῆς δάμαρτος, τῆς ξυναόρου, θαμά, ἀλύων, ἐπταλόφου.

Circuitionibus etiam verborum nomina urbium et hominum propria effugit M. Tullius, quæ vel illiteratus et rudis nuntius et expers græcæ linguæ interpretari possit; itaque de quo homine, de qua re conscribat Cicero, non animo comprehendet tabellarius si quis perlegerit : τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος, Φιλοτίμου loco; ὁ Κροτωνίατος τυραννόκτονος, Μίλωνος loco; ὁ ἀπελεύθερος, ὢν ὁμώνυμος τῷ Κόνωνος πατρί, Τιμωθέου loco.

Cassio hæc confitetur noster : « Longior autem (epistola fuisset) si φλύαρον aliquem habuisset : nam σπουδάζειν sine periculo vix possumus[1]. »

Tectis verbis filiæ conditionem Attico significat « domesticum scrupulum » : « Id erit mihi gratissimum, si quæ tibi mandavi confeceris, in primisque illud ἐνδόμυχον quo mihi scis nihil esse carius[2]. » Ἐνδόμυχον est arcanum de re domestica.

Clodiam autem Junonis epitheto, « Βοῶπις », indicat, quod subobscurum exstat, nisi quis meminerit a Publio sororem suam uxoris loco habitam, sicut a Jove Juno est[3].

« Mihi autem illud molestissimum est quod solvendi sunt nummi Cæsari... est enim ἄμορφον, ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην esse. Sed hæc et multa alia coram[4]. »

« Prorsus ut scribis ita sentio : tuebatur Sampsiceramus (Pompeius) Nihil est quod non timendum sit : ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται[5]. »

Adde quædam verba, quæ fortasse ad tegendam sententiam sunt adhibita :

Ἀνεκτόν, tolerandum. « Est illud quidum ἐργῶδες, sed ἀνεκτόν mihique gratissimum[6]. »

1. *Ad Famil.*, XV, 18, 1. — 2. *Ad Att.*, V, 14, 3; V, 21, 14. — 3. Ibid., II, 9, 1. Cf. II, 12, 2; II, 14, 1; II, 22, 5; II, 23, 3. — 4. Ibid., VII, 8, 5. — 5. Ibid., II, 17, 1. — 6. Ibid., XV, 19, 1.

Ἐὰν διαμείνῃ, si permanserit. « Bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ[1]. »

Ἔτι ἐῶμεν; adhuc sinimus? « Redeo ad meum igitur ἔτι ἐῶμεν[2]. »

Enucleatum his exemplis videtur Ciceronem in aliquot epistolis ad abscondendam voluntatem suam vel ad sententiam obscurandam sibi græca assumpsisse vel surripuisse ex poetis græcis.

1. *Ad Att.* XV, 12, 2. — 2. Ibid., XVI, 1, 1.

SEXTUM CAPUT.

DE GRÆCORUM PROVERBIORUM ET PROLATIONUM USU.

Non jam de diffidentia et cautione illa dicemus quas apud quemvis alium Romanum in eodem difficillimo rerum statu agnoscas, neque apud unum M. Tullium reperias; sed quosdam animi motus Ciceronis proprios et peculiares exploraturi sumus, si animadverterimus quæ potissimum proverbia vel carmina ex Ioniis Atticisve sibi arroget.

Nonnullis in epistolis, neque iis frequentibus, adagia illa laudat quæ non ingenio unius vel poetæ vel philosophi excogitata, sed ex communi omnium fonte lapsa conteruntur vetustate et in consuetudinem pervulgatorum effatorum veniunt. Quæ cuncta minime animos ad laudis amorem extollunt aut ad sublimem excellentium virorum insaniam instigant, at contra unumquemque inducunt ut cupiditates coerceat, ut alacritatem refrenet, ut nimiam in agendo vel in perdiscendo contentionem tanquam vanam et ridiculam compescat, ut denique res, non verba, prosequatur. Hæc prudentissime dicta si sæpius auscultavisset noster, non is exstitisset qui deridendus esset aliquando et reprehendendus in re publica privatave administranda. Atticus vero non talis ingenio et moribus obversabatur, cui consiliorum modestiam et cautam vitæ rationem ac viam commendari deceret. Quoties a Cicerone hæc proverbia commemorantur, aut a summis labris fluunt, non ex imo pectore promuntur, aut in alicujus res et facta aptantur, aut ab ipso tanquam detrectanda respuuntur.

Ἅλις δρυός, satis quercus : de priscis hominibus, qui relictis glandibus frugibus vescebantur. « Dices fortasse : dignitatis

Ἐὰν διαμείνῃ, si permanserit. « Bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ[1]. »

Ἔτι ἐῶμεν; adhuc sinimus? « Redeo ad meum igitur ἔτι ἐῶμεν[2]. »

Enucleatum his exemplis videtur Ciceronem in aliquot epistolis ad abscondendam voluntatem suam vel ad sententiam obscurandam sibi græca assumpsisse vel surripuisse ex poetis græcis.

1. *Ad Att.* XV, 12, 2. — 2. Ibid., XVI, 1, 1.

SEXTUM CAPUT.

DE GRÆCORUM PROVERBIORUM ET PROLATIONUM USU.

Non jam de diffidentia et cautione illa dicemus quas apud quemvis alium Romanum in eodem difficillimo rerum statu agnoscas, neque apud unum M. Tullium reperias; sed quosdam animi motus Ciceronis proprios et peculiares exploraturi sumus, si animadverterimus quæ potissimum proverbia vel carmina ex Ioniis Atticisve sibi arroget.

Nonnullis in epistolis, neque iis frequentibus, adagia illa laudat quæ non ingenio unius vel poetæ vel philosophi excogitata, sed ex communi omnium fonte lapsa conteruntur vetustate et in consuetudinem pervulgatorum effatorum veniunt. Quæ cuncta minime animos ad laudis amorem extollunt aut ad sublimem excellentium virorum insaniam instigant, at contra unumquemque inducunt ut cupiditates coerceat, ut alacritatem refrenet, ut nimiam in agendo vel in perdiscendo contentionem tanquam vanam et ridiculam compescat, ut denique res, non verba, prosequatur. Hæc prudentissime dicta si sæpius auscultavisset noster, non is exstitisset qui deridendus esset aliquando et reprehendendus in re publica privatave administranda. Atticus vero non talis ingenio et moribus obversabatur, cui consiliorum modestiam et cautam vitæ rationem ac viam commendari deceret. Quoties a Cicerone hæc proverbia commemorantur, aut a summis labris fluunt, non ex imo pectore promuntur, aut in alicujus res et facta aptantur, aut ab ipso tanquam detrectanda respuuntur.

Ἄλις δρυός, satis quercus : de priscis hominibus, qui relictis glandibus frugibus vescebantur. « Dices fortasse : dignitatis

ἄλις tanquam δρυός; saluti, si me amas, consule. — Me miserum! cur non ades? Nihil profecto te præteriret[1]. »

Γνῶθι σεαυτόν, nosce te ipsum. « Cessator esse noli : et illud γνῶθι σεαυτόν noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra norimus[2]. »

Λῆρος πολύς, nugæ multæ. « Λῆρος πολύς : nemo est istorum qui otium non timeat...[3] » Nugas ago, Æthiopem lavo.

Τὸ ἐπί τῇ φακῇ μύρον, in lente unguentum : de re pretiosa in re vili consumpta. « Legati sunt Q. Metellus Creticus et L. Flaccus, et, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus Clodiani filius[4]. » Μύρον est legatio; φακή lens, vel, ambigua significatione, Lentulus. In eo Lentulo legationem male collocatam asserit.

Quæ sequuntur decurtata profert, et primas tantummodo eorum voces laudat, ut quæ vulgo notissima existimet noster.

Ἄνω ποταμῶν, supple χωροῦσι πηγαί. « Si vero etiam Carfulenus, ἄνω ποταμῶν[5]. » Si Carfulenus ea fecerit, omnia jam fieri posse declarat scriptor.

Γόνυ κνήμης, genu tibia, scilicet ἔγγιον, propius. « Nec tamen te avoco a syngrapha, γόνυ κνήμης[6]. » Id est : nemo tibi propior quam tu.

Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Qui versus ex Euripide translatus, non secus atque ἄνω ποταμῶν, in vulgaris proverbii locum cesserat. Sparta tibi obtigit, hanc orna. « Meos bonos viros, illos quos significas, et eam quam mihi dicis obtigisse Σπάρταν nunquam deseram[7]. »

Unus autem omnium apud veteres Graios præstat sapientissimus suasor, et præceptor de vitæ ratione regenda firmissimus, commune non poesis solum sed et prudentiæ ac virtutis principium et fons, Homerus. Cujus vere vatis auctoritatem quanto honore colerent, quam sancta relligione observarent et Cicero et ceteri non Graii modo sed Romani, ex hoc loco epistolæ ad Quintum scriptæ indagare poteris.

« Romæ et maxime Appia via ad Martis mira alluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna

1. *Ad Att.*, II, 19, 1. — 2. *Ad Quint.*, III, 6, 7. — 3. Bootius, *ad Att.*, XIV, 21, 4; XVI, 1, 5. — 4. Ibid., I, 19, 2. — 5. Ibid., XV, 4 a, 1. — 6. *Ad Fam.*, XVI, 23, 2. — 7. *Ad Att.*, I, 20, 3. Cf. cetera adagia: *ad Fam.*, VI, 3, 4; *ad Att.*, II, 12, 3; V, 11, 5; XV, 17, 1.

vis aquæ usque ad piscinam publicam. Viget illud Homeri :

> ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
> Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ.

Cadit enim in absolutionem Gabinii :

> οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
> ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες[1]. »

Nullum igitur parentis illius poetarum carmen, nulla locutio, ne ullum quidem epithetum a Cicerone judicatur non providenter excogitatum, non considerate repositum, immo non Sapientiæ cujusdam divinæ effatum et oraculum : « Homerus non Ajacem, nec Achillem, sed Ulixem appellavit πτολίπορθον[2]. »

Ex illo responsorum thesauro in primis mirabatur et excerpebat ad dirigendam vitæ normam carmina illa vere sublimia, quibus summus vates ferventem gloriæ cupiditatem jactat, heroum suorum virtutem clarissimam prædicat, et adversus imminentem necem robur illustrat animi, quem laudis eximius amor in media pericula propellit :

« Angor illud, quod a puero adamaram

> Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων

totum occidisse[3]. » (Semper fortiter agere et aliis præstare.)

> — Ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ...
> Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
> Ἀλλά μέγα ῥέξας καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι[4].

Strenuus esto quo te et posteriorum aliquis laudet... Ne ignaviter et inglorie peream : sed magno aliquo facinore edito dignoque quod audiatur a posteris.

« De Pompeio quid agam ?... Ego igitur, sicut apud Homerum, cui et mater et dea dixisset :

1. *Ad Quint.*, III, 7, 1. — 2. *Ad Fam.*, X, 13, 2. — 3. Ibid., XIII, 15, 2; *ad Quint.*, III, 6, 4; *Iliad.*, VI, 208. — 4. *Ad Fam.*, XIII, 15, 2; *Iliad.*, 22, 304. Cf. *ad Att.*, X, 1, 1.

Αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἕτοιμος,

matri ipse respondit :

αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
κτεινομένῳ ἐπαμῦναι.

Quid si non ἑταίρῳ solum, sed etiam εὐεργέτῃ, adde, tali viro talem causam agenti? ego vero hæc officia mercanda vita puto[1]. »

Gloriæ et virtutis tanquam ludus Ciceroni et veteribus exstitit Ilias :

« Non opinor esse dubitandum quin semper nobis videatur

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης[2]. »
(Unum augurium optimum, pugnare pro patria.)

De Pompeio autem Urbem relinquente ante J. Cæsarem : « At idem Pericles non fecit... cum præter mœnia nihil teneret, et nostri olim Urbe reliqua capta arcem tamen retinuerunt :

οὕτω που πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν[3]. »

(Sic fere eorum qui ante vixerunt virorum audiebamus laudes.)

Hæc autem compluries recurrunt in epistolis, sive tota, sive decurtata, sive paululum immutata, quæ primo in quanta secundi incidunt :

« Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους
(Vereor Trojanos et Trojanas peplos trahentes.)

« Quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur?...

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει
(Polydamas mihi primus probrum objiciet.)

Cato ille noster qui mihi unus est pro centum millibus[4]. »

1. *Ad Att.*, IX, 5, 3; *Iliad.*, 18, 96. — 2. Ibid., II, 3, 3; *Iliad.*, 12, 243. — 3. *Ad Att.*, VII, 11, 3; *Iliad.*, 9, 524. — 4. Ex *Iliad.*, VI, 442, et XXII, 100; *ad Att.*, II, 5, 1; VII, 1, 14; VII, 12, 3; VIII, 16, 2; XIII, 13, 2; XIII, 24.

Neque Homerum unum de rumoris momento, de clarorum virorum præclare factis, de laudis cupiditate canentem animadvertebat Cicero, sed et omnibus, quicumque elatis dictis gloriam extulerant, aures erigebat, et ex sublime sonantibus illis poetarum oribus pendebat.

« Sin, cum potuero, non venero (ad Pompeium), tum erit inimicus; quod ego non eo vereor ne mihi noceat; quid enim faciet?

τίς δ' ἐστί δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;
(Quisnam est servus, qui mortem non curet?)

sed quia ingrati animi crimen horreo[1]. »

Aristophanis autem hanc sententiam excelsam profert :

« Itaque irascatur qui volet; patiar : τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ[2]. »

Aliquando et vitam suam et sortem et præclare vel dicta vel facta confert cum summis facinoribus illustrium hominum quorum imagines a scriptorum græcorum ingeniis expressæ fuerunt. Studet augurari quid de se judicaturi sint posteri, utrum cum principibus illis se æquaturi sint, an sub eosdem subjecturi; immo exoptatum judicium posteritati dictare videtur :

« Jam intelliges id regnum vix semestre esse posse. Quod si me fefellerit, feram, sicut multi clarissimi homines in re publica excellentes tulerunt, nisi forte me Sardanapali vicem in suo lectulo mori malle censueris quam in exilio Themistocleo, qui, cum fuisset, ut ait Thucydides, τῶν μὲν παρόντων δί ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής, tamen incidit in eos casus, quos vitasset, si eum nihil fefellisset. Etsi is erat, ut ait idem, qui τὸ ἄμεινον καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα, tamen non vidit[3]... » atque alia hujus modi.

Hæc et similia in epistolis pervolventi veniunt in memoriam verba ipsius Ciceronis pro Archia agentis, et de se ipso multa profitentis :

1. *Ad Att.*, IX, 2a, 2; Eurip., *Fragm. inc.*, LXXVI. — 2. Ibid., VI, I, 8. Cf. Arist., *Acharn.*, 659. — 3. Ibid., I, 138; Thucydidem vero memoriter laudat, I, 138.

« Nisi multorum præceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem... nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes... objecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenæ sapientium voces, plena exemplorum vetustas... Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas, scriptores et græci et latini reliquerunt! Quas ego mihi semper in administranda re publica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam[1]. »

Quæ omnia non pro re et causa ementita, sed candide dicta et sincera fide scripta esse apparet ex his frequentibus sententiis et carminibus quæ laudat Cicero et a græcis illis scriptoribus excerpit. Quæ loca demonstrant quam ingenue et aperte gloriæ amorem suum in hac oratione *pro Archia* confiteatur, atque amorem illum nobis sanctum et tanquam divinum efficiunt, nedum vituperandus et sub pedibus calcandus is videatur. Haud scio an usquam πολιτικός τις ἀνὴρ elatiora et magis sincera de se verba ex ore suo profuderit et prædicaverit quam hæc :

« Trahimur onmes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur[2]... Jam me vobis, Judices, indicabo; et de meo quodam amore gloriæ... vobis confitebor[3]... Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis et gloriæ, qua quidem detracta, Judices, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus?

« Certe si nihil animus præsentiret in posterum, et si, quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suos, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret; nunc insidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes et dies animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam... Ego vero omnia quæ gerebam,

1. *Pro Archia*, VI, 14. — 2. Ibid., XI, 26. — 3. Ibid., XI, 28.

jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terræ memoriam sempiternam [1]... »

Is fuit viro cunctanti et incerto stimulus a Graiis adhibitus ad strenue aliquando agendum, is fluctuantem consulem incitavit ut Lentulum et Cethegum istos opprimeret; quo quidem deficiente luctus exsilii tristior et magis lacrimabundus Ciceroni fuit quam ut viro; quo denique præsente serena apparuit extrema illa lux, nec funestus vel obscenus visus est, immo faustus et bonus, centurio ille a triumviro missus.

Crebro in proferendis versibus eos acquiescit quorum colorem poeticum et vim aut grandiloquentiam suspicit; quin etiam elatissima loca minimis rebus aptat, et maxima in parvula ludo transfert, ut eadem carmina et miretur decora et sic facta jocularia derideat. Rem admirabilem expositurus in epistola, Musarum opem irridens invocat :

« Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι.....
Ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε [2]. »

Postquam Asia fratri obtigerat, sperabat fore ut Atticus cum Quinto conveniret in provinciam, ideoque hæc ad Atticum incertum subscribebat :

« Nunc... παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, curaque ut ab omnibus laudemur [3]. »

« Romæ quod scribis sileri, ita putabam... Si vero in hanc Τηλέπυλον veneris Λαιστρυγονίην — Formias dico — qui fremitus hominum [4] ! »

« Sequere nunc me in Campum. Ardet ambitus; σῆμα δέ τοι ἐρέω. Fœnus ex triente Idib. Quint. factum erat bessibus [5]. »

Hic autem senarius poetæ nescio cujus quam gravem sententiam celet idemque expromat introspice, quem post J. Cæsaris cædem, Antonio superstite et bacchante, adhibet.

« Me Idus Martiæ non tam consolantur quam antea; magnum enim mendum continent, nisi illi juvenes ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον (aliis bonis rebus agendis hanc maculam eluunt [6]. »

1. *Pro Archia,*, XI, 28, 29 et 30. — 2. *Ad Att.*, I, 16, 5; *Iliad.*, 16, 112. — 3. Ibid., I, 15, 1; ibid., 22, 268. — 4. Ibid., II, 13, 2; *Od.*, X, 81. — 5. Ibid., IV, 15, 7; ibid., 23, 326. — 6. Ibid., XIV, 22, 2.

Diversa ex variis poetis carmina protulit, sive integra loca rescribit, seu ea adeo sermone trita sunt ut in proverbii usum transierint et mutila atque amputata celeriter a nostro assumantur. Quæ omnia non ipsum librum pervolvens ille transcribebat, sed memoria tenebat, quibus mentem jam a pueris exornaverat, quæ senex adhuc reservaverat : si quando difficillimus fiebat publicarum rerum status, si forte extremum quoddam vitæ discrimen incidebat, aderant statim ad sustinendum et regendum filiolum tanquam venerandi parentes poetæ illi omnes græci, quorum præcepta colebat, hortationes auscultabat, consilia relligiose sequebatur.

Quam excellentes poetæ et in primis quam divinus vates Homerus, ex quo quasi ex fonte perenni profluxerunt boni animi et gloriæ cupido, et mortis contemptus, et in hac quotidiana dimicatione contentio ac pertinacia, ex quo largum virtutis potum hauserunt veteres illi Graii qui nobis æterna dictorum et facinorum exempla tradiderunt, a quo resumere vires adhuc possunt si quæ gentes debilitatæ sunt et enervatæ, cujus quo plures sunt in civitate quadam studiosi sectatores, eo robustior fit tota civitas, qui denique unus inter omnes dignus exstat qui præclaris illis carminibus Romani lyrici extollatur :

> Os tenerum pueri balbumque poeta figurat.
> Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem.
> Mox etiam pectus præceptis format amicis,
> Asperitatis et invidiæ corrector et iræ.
> Recte facta refert, orientia tempora notis
> Instruit exemplis [1].

1. *Horat.*, Epist. II, 1, 126.

SEPTIMUM CAPUT.

QUA RATIONE DE REBUS GRÆCIS GRÆCAS VOCES USURPAVERIT CICERO.

Quemadmodum non M. Tullium reprehendere possis, quod peregrinos poetas commemorans propia eorum effata transcripsit, nec latine interpretatus est, ita scriptores et libros externos suis ipsorum nominibus indicanti ei, aut mores atque instituta Graiorum græcis vocabulis demonstranti assentiri æquum est.

Prædium Epiroticum Attici primo nominat Ἀμαλθεῖον : « Velim ad me scribas cujusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum... et quæ poemata de Ἀμαλθείᾳ habes ad me mittas[1]. » Deinde latine exarat : « Epigrammatis tuis quæ in Amaltheo posuisti contenti erimus[2]. »

Scriptores, in philosophia præsertim versatos, quippe quibus nondum familiariter usi sint Romani, quibus non civitatem dederint, latinus sermo barbaro suo nomine designat.

« Sunt Ἀντιόχεια quæ iste valde probat[3]. » (Antiochi præcepta.)

« Quæ autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent[4]. »

« Quare si quid Θεοφάνης tecum forte contulerit, ne omnino repudiaris[5]. »

« Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας affer mihi de libris Q. Fratris[6]. »

« Ego a Sex. Fadio... librum abstuli Νίκωνος περὶ πολυφαγίας[7]. »

1. *Ad Att.*, I, 16, 18; II, 7, 5. — 2. Ibid., I, 16, 15. — 3. Ibid., XIII, 12, 3. — 4. Ibid., XIII, 19, 4. — 5. Ibid., II, 5, 1. — 6. Ibid., II, 3, 3. — 7. *Ad Fam.*, VII, 20, 3.

QUINTUM CAPUT.

DE GRÆCIS VOCABULIS SENTENTIAM TEGENTIBUS.

Hactenus de M. Tullio diximus græcas voces non ex necessitate sibi assumente, et, quanquam res familiaris suppeditabat æs alienum faciente, nonnullo quidem patriæ linguæ fructu. Hinc jam cum aut utili aut necessaria re cogatur, eum mutuantem cernemus. Quia autem causæ quæ illum ad versuras faciendas a peregrinis impulerunt, vel ad mores, animum, vitam pertinent, vel ad græcæ linguæ præstantiam et excellentiam, hanc quæstiunculam excutientes loquemur de intima M. Tullii natura et indole, nec non de græci illius sermonis et latini ingenio.

Aliquando nihil aliud valent græcæ voces nisi ut sententiam scribentis quodam modo abdant et sensum ejus operiant : nutu enim minore et significatione magis obscura græcæ dictiones opinionem aliquam vel aliquem virum indicare queunt, cum, versibus notis alludentes doctrinisve philosophorum, res et homines demonstrent. Nuntii præsertim, quibus litteras minime fidens mandat Cicero, plurimi erant græcæ linguæ admodum imperiti : sententiam igitur suam, quam utroque sermone exprimere posset, non communi, sed externo sermoni committere, ea erat Ciceroni cautio non maxime secura, attamen prudens et prompta. « Die Rœmer machten jedoch in privaten und vertrauten Mittheilungen, bei Scherzrede oder da, wo man von der einheimischen Dienerschaft nicht gleich verstanden sein wollte, sich der griechischen Sprache hæufig bedienen[1]. »

1. Klotz., *Lat. Stil.*, p. 137.

ut tibi placuit, despondimus[1]. » — « Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoïca M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni darem[2]. » Nec mirum : importatæ annonæ nota græca.

Quando autem institutum aliquod vel usum populorum græcorum demonstrat, ut rei et verbo ingenitam auctoritatem observet, tunc græcum verbum arripit, etiamsi romanum adest et ei suppeditat : quæ consuetudo omnino haud reprehendenda judicatur :

« Romanæ autem se res sic habent : senatus Ἄρειος πάγος ; nihil constantius, nihil severius, nihil fortius[3]. » Quæ similitudo romani concilii cum græco consessu ex adhibita locutione barbarica et insignior exit et magis viva.

Quemadmodum gymnasiorum consuetudinem, ita nomen Quirites ex Graiis sunt mutuati : quod tanquam hospitum et extorre non comitata sunt vocabula ab eadem stirpe profecta : migrantem avum deseruerunt nepotes : « Tu velim si qua ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sint ejus quem tu non ignoras, ne prætermittas[4]. »

« Quos Græci δαίμονας appellant, nostri, ut opinor, Lares, si modo hoc recte conversum videri potest[5]. »

« Quodsi δήμους oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium quam Piræus[6]. »

« Ex provincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiarius usus quam Androne[7]. » Διοίκησις dicitur portio quædam provinciæ cujus administratio et jurisdictio prætori commissa est, cum de Græcis vel Asiaticis sermo est. (Ern.)

« Ego usque eo sum enervatus, ut hoc otio quo nunc tabescimus malim ἐντυραννεῖσθαι, quam cum optima spe dimicare[8]. » Non regem asiaticum regnumve, sed τύραννον græcum, eum qui publica re civitatis vi et armis potitur, destinat.

Romanos veteres ex disciplinis externis id unum adsci-

1. *Ad Att.*, XIII, 12, 3. — 2. Ibid., XIII, 19, 4. — 3. Ibid., I, 14, 5. — 4. Ibid., I, 6, 2; I, 9, 2. — 5. *De Univ.*, c. 11. — 6. *Ad Att.*, VII, 3, 10. — 7. *Ad Fam.*, XIII, 67, 1. — 8. *Ad Att.*, II, 14, 1.

titudinem tum ob nominis similitudinem cum illo Crotoniata comparat.) Vereor igitur, ut senseris. Sane velim hoc solus explores et reliqua in tuto ponas[1]. » Nisi qui extrarias illas dictiones pervolvit et perspexit, nemo intelliget quemnam demonstret Cicero hoc nomine barbarico in prima septimi : Dijungere me ab illo volo : merus est φυράτης, germanus Lartiduis. »

In quinta sexti, plura solito græce perscripsit Tullius : « τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς οὐξελεύθερος ἔδοξέ μοι θαμὰ βατταριζων καὶ ἀλύων ἐν τοῖς ξυλλόγοις καὶ ταῖς λέσχαις ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου. Hoc tu indaga, ut soles; ast hoc magis : ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου στείχων παρέδωκε μνῶν κδ΄. μη΄ ὀφείλημα τῷ Καμίλλῳ, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κδ΄ ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν καὶ εκ των Χερρονησιτικῶν μη΄· καὶ μνὰς κληρονομῆσαι χμ΄. χμ΄· τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διευθετῆσθαι, πάντων ὀφειλήθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ· τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρὶ, μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι. Ταῦτα οὖν πρῶτον μὲν, ἵνα πάντα σώζηται, δεύτερον δὲ, ἵνα μηδέ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προεκκειμένης ἡμέρας. Ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν, σφόδρα δέδοικα. Καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος καί τι σχεδὸν ελπίσας· ἀπογνοὺς δὲ ἀλόγως ἀπέστη, ἐπειπῶν· εἴκω, αἰσχρόν τοι δηρόν τι μένειν. » Quæ verba R. Mueckii diligentissima opera correcta, sic vertit Bootius :

Ex urbe septicolli proficiscens (Philotimus) Camillo rationes reddidit minarum XXIV et XLVIII, quas debet et se ipsum debitorem minarum XXIV ex bonis Milonis et XLVIII e prædiis Chersonnesiis, (dixitque) ex hereditatibus sibi obvenisse minas bis sexcentas quadraginta : harum autem ne obolum quidem administratum esse, quum omnia debita essent a Kal. februariis : illius autem libertum, cui idem nomen quod erat Cononis patri[2], nihil omnino curasse. Hæc igitur primum cura ut universa serventur; deinde ut ne usuras negligas quæ a die prædicta currunt. Quot dies illum pertulimus, in magno timore fui. Etenim erat apud nos exploraturus et aliquid sperans, eaque spe destitutus temere abiit obmurmurans : cedo, nam turpe diu manere (et vacuum reverti).

1. Bootius, *ad Att.*, VI, 4, 3. — 2. Timotheum scilicet.

Ἐπιφωνήματα, laudes. « Quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem, cum hæc domi nascantur[1]? »

Σχόλιον, explicatio. « Etsi, quid jam opus est σχολίῳ? Si perseverassem, opus fuisset[2]. »

Προλεγόμεναι, præfatio. « Veni igitur, si vis, et disce a me προλεγομένας quas quæris. Etsi sus Minervam[3]. »

Ἀρχή initium. « Δυσουρία tua mihivalde molesta est. Medere, amabo, dum est ἀρχή[4]. » *Initium* non erat medicorum romanorum libris tanquam consecratum, sicut ἀρχή græcorum.

Ἀρετὴ non est διδακτόν, virtus non doceri potest. « Quodsi adhuc nullum est (ἦθος), esse tamen potest, aut ἀρετή non est διδακτόν, quod mihi persuaderi non potest[5]. » De hac disputatione multa quæsiverunt philosophi græci. Sæpius etiam tetigit eam Plato, maxime in Menone, in cujus libri exordio ponitur quæstio : ἆρα διδακτὸν ἡ ἀρετή[6];

Τέλος, extremum. « Sed, quæso, quid ex ista acuta et gravi refertur ad τέλος[7]? » Τέλος est solenne græcorum philosophorum verbum, cujus vis subtilior est quam « extremum, » quanquam idem significat. Cf. : « Quoniam id est vel summum bonorum vel ultimum vel extremum (quod Græci τέλος nominant)[8]. »

Ἡδονή, voluptas. Item Cassius Ciceroni : « Itaque et Pansa, qui ἡδονὴν sequitur, virtutem retinet[9]. » Verbo ἡδονή Epicuri præceptis familiariter alludit.

Quamobrem haud dubio Wesenbergium probaverim qui in hoc Tusculanarum loco : « Id quod constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoïci βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem[10], » legendum suspicatur « appellemus » (quod Baiterus aliique receperunt), quod indicativus falsam illam habeat sententiam, id constantiæ genus quod Stoïca quadam terminologia βούλησις appelletur, a latinis vulgo appellari voluntatem esse solitum; Ciceronem autem hoc dixisse, licere latino vocabulo, quod vulgari dicendi

1. *Ad Att.*, I, 19, 3. — 2. Ibid., XVI, 7, 3. — 3. *Ad fam.*, IX, 18, 3. — 4. *Ad Att.*, X, 10, 3. — 5. Ibid., X, 12, 7. — 6. *Ad h. l.*, Bootius. — 7. *Ad Att.*, XII, 6, 1. — 8. *De Fin.*, I, 12, 42. — 9. *Ad Fam.*, XV, 19, 3. — 10. *Tusc.*, IV, 6, 2.

Ἐὰν διαμείνῃ, si permanserit. « **Bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ**[1]. »

Ἔτι ἐῶμεν; adhuc sinimus? « Redeo ad meum igitur ἔτι ἐῶμεν[2]. »

Enucleatum his exemplis videtur Ciceronem in aliquot epistolis ad abscondendam voluntatem suam vel ad sententiam obscurandam sibi græca assumpsisse vel surripuisse ex poetis græcis.

1. *Ad Att.* XV, 12, 2. — 2. Ibid., XVI, 1, 1.

SEXTUM CAPUT.

DE GRÆCORUM PROVERBIORUM ET PROLATIONUM USU.

Non jam de diffidentia et cautione illa dicemus quas apud quemvis alium Romanum in eodem difficillimo rerum statu agnoscas, neque apud unum M. Tullium reperias; sed quosdam animi motus Ciceronis proprios et peculiares exploraturi sumus, si animadverterimus quæ potissimum proverbia vel carmina ex Ioniis Atticisve sibi arroget.

Nonnullis in epistolis, neque iis frequentibus, adagia illa laudat quæ non ingenio unius vel poetæ vel philosophi excogitata, sed ex communi omnium fonte lapsa conteruntur vetustate et in consuetudinem pervulgatorum effatorum veniunt. Quæ cuncta minime animos ad laudis amorem extollunt aut ad sublimem excellentium virorum insaniam instigant, at contra unumquemque inducunt ut cupiditates coerceat, ut alacritatem refrenet, ut nimiam in agendo vel in perdiscendo contentionem tanquam vanam et ridiculam compescat, ut denique res, non verba, prosequatur. Hæc prudentissime dicta si sæpius auscultavisset noster, non is exstitisset qui deridendus esset aliquando et reprehendendus in re publica privatave administranda. Atticus vero non talis ingenio et moribus obversabatur, cui consiliorum modestiam et cautam vitæ rationem ac viam commendari deceret. Quoties a Cicerone hæc proverbia commemorantur, aut a summis labris fluunt, non ex imo pectore promuntur, aut in alicujus res et facta aptantur, aut ab ipso tanquam detrectanda respuuntur.

Ἅλις δρυός, satis quercus : de priscis hominibus, qui relictis glandibus frugibus vescebantur. « Dices fortasse : dignitatis

consuetudine latius pateret, sic quoque uti, utque sic uterentur hortatum esse[1].

Raro accidit ut Cicero aliquot cujusdam scriptoris verba sibi assumat, quæ, cum ne minime quidem plura significent quam latinum vocabulum, nulla ratione deligenda sint et excerpenda.

Ἐκβολή digressio. « Sed hæc fuerit, ut ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis[2]. » Cur vox *digressio* repudiata fuerit hac epistola nescio.

Στερέμνια firma. « Ut ea quæ ille propter firmitatem στερέμνια appellat[3]. » Cur non adjectivo « firmus » usus sit, non liquet.

Aliquoties igitur affectatus videtur sermo græcus qui a Cicerone ex sapientium libris sumitur, nec sæpe se non humanissimum oratorem gerit noster, at pædagogum. A scolaribus autem controversiis consuetudinem secum de omni re disputandi habet, immo græce disceptandi. Si quando imminet grave rei publicæ periculum. non statim ille consilium concipit, neque protinus in medias dimicationes se projicit et usquequaque easdem partes defendit. At incertus et anceps animus diu multumque deliberat, utrumque momentum perpendit, quid alteræ partes valeant, quid non, ponderat; in utramque sententiam, sicuti quondam discipulus per umbratilia studia adolescentiam degens, diserte disserit, neque illi desunt utrinque rationes ut discernat in utram viam officium et fides, in utram commodum vel compendium impellat; denique, cum subtilius dispexerit unius et alterius partis infirmitates et vitia aut virtutes, quippe qui acutissimus et maxime instructus accesserit ad artem dialecticam, tunc fit animus ejus hæsitantior et magis errabundus. Quas cunctationes totius vitæ illi consuetudini exercitationum græcarum, quibus in schola attica vel rhodiensi admodum juvenis θέσεις et ἀντιθέσεις vicissim amplificaret, quadam ratione adjudicare non dubitaverim. Nunquam obsolevit ipsi, quanquam ætate provecto, illud institutum, utrinque disceptandi græcorum ludorum more. Etenim non ille ab iratis Musis præditus erat mente illa, qua πολιτικός τις

1. Notula Kuehneri, *H. l.* — 2. *Ad Att.*, VII, 1, 6. Cf. ***Thuc.***, I, 97. — 3. *De Nat. D.*, I, 19, 49.

ἀνήρ nihil aliud probandum judicat, nisi quod semel amplexus sit, qua eandem viam usque ad finem improbus et acer calcat. At ingenium Ciceronis miserrime sagax, acutius etiam et magis perspicax factum erat græca illa controversiarum disciplina.

Quæ umbraticæ consultationes quantis in discriminibus a nostro adhibeantur, quartam noni libri epistolam totam pervolventes admiramur. Cæsar enim hostis adventat, Magnus ille fugit, dubitat autem vir consularis utrum in Italia remanere an fugæ Pompeii socium se addere deceat. Abundant igitur utrinque rationes, nec certum Attici ipsius consilium :

« O rem difficilem, planeque perditam ! Quam nihil prætermittis in consilio dando ! Quam nihil tamen quod tibi placeat explicas ! Non esse una me cum Pompeio gaudes ; ac proponis quam sit turpe me adesse (inimicis ejus)[1]... »

Quam ad tergiversationem molestissimam eximendam, statim concurrunt scholasticæ controversiæ, exteris locutionibus tractatæ, quoniam eæ sunt exterorum rhetorum exercitationes.

« Ego etsi tamdiu requiesco, quamdiu aut ad te scribo aut tuas litteras lego, tamen et ipse egeo argumento epistolarum et tibi idem accidere certo scio : quæ enim soluto animo familiariter scribi solent, ea temporibus his excluduntur, quæ autem sunt horum temporum, ea jam contrivimus. Sed tamen, ne me totum ægritudini dedam, sumpsi mihi quasdam tanquam θέσεις, quæ et πολιτικαὶ sunt et temporum horum, ut et abducam animum ab querelis et in eo ipso, de quo agitur, exercear. Eæ sunt hujusmodi :

Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ; τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν ; εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται ; εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον ἢ πολέμῳ ; εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι ; εἰ πόλεμος ἐπακτέος τῇ χώρᾳ καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην ; εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννί-

1. *Ad Att.*, IX, 12 a, 1.

δος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις; εἰ τοῖς εὐεργέταις καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων; εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα ευεργετήσας, δι αὐτὸ δὲ τοῦτο ανήκεστα παθὼν καὶ φθονηθείς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος; εἰ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ισχύοντας διὰ πολιτείας[1];

« In his ego me consultationibus exercens et disserens in utramque partem tum græce tum latine, et *abduco parumper* animum a molestiis, et τῶν προὔργου τι delibero[2]. »

In nona autem hæc addit : « Faciamus igitur ut censes, colligamusque nos : σοφιστεύω enim, simul ut rus decurro, atque in cursu θέσεις meas commentari non desino[3]. »

Dum civilibus bellis Italia conflagrat, θέσεις commentatur Cicero, tanquam græculus σοφιστής.

1. Cetera Græca satis expedita sunt, ultimam vero quæstionem sic enuntia : « Sitne ei concedendum ut sui aliquando et suorum curam gerat, omissis adversus potentes concertationibus civilibus ? » (Ern.). — 2. *Ad Att.*, IX, 12 a, 1 (ed. Boot). — 3. Ibid., IX, 9.

OCTAVUM CAPUT.

QUONAM MODO PHILOSOPHIÆ AC RHETORICÆ LINGUAM EX GRÆCO THESAURO DITAVERIT.

Et philosophia ac rhetorica erant græcæ, de quibus pessime latinus sermo, ante M. Tullium συντάγματα sua edentem, disseruerat. Hæc Ciceronis opera græcis verbis referciuntur; neque tantummodo ut sensum scriptoris efferant, sed et ad ditandas atque ad augendas patrias voces extera vocabula insumuntur. His enim in dialogis, cuique dictioni græcæ romana una pluresve se comites adjungunt, quæ extraneas illas, velut umbra corpus, sectantur.

Cur ante latinas illas locutiones ubique apud hunc disceptantem procedat græcum dictum, diversæ suppeditant rationes. Is qui, cum ante plebem forensem causas ageret, se maxime expertem græcarum litterarum fingebat exstitisse, qui clarissimi artificis græci ne nomen quidem memoria se retinuisse simulabat, idem, si quando ad litteratos cives erudiendos conscribit, eorumque judicio pergratus esse cupit, non modo quanta sit in ipso alienigenæ doctrinæ scientia non jam abdit, sed etiam disciplinam suam præ se fert et nunc gloriatur. Nemini dubium est, συγγράμματα philosophica aut rhetorica revolventi, quin sæpius in hospitis verbis proferendis ostentare velit Cicero quousque cognitiones suæ progrediantur. Nam sperat se ipsum miraturos esse Quirites illos, qui doctrinarum advecticiarum studia ne summis quidem labris delibaverunt. Præterea græcum vocabulum novam latinæ vocis significationem vel formam explanat et quasi clientem patronus legenti commendat. Si qui litteris græcis erudiuntur, ex noto importatæ dictionis sensu novam patriæ locutionis virtutem colligunt. Cum autem pluribus

Diversa ex variis poetis carmina protulit, sive integra loca rescribit, seu ea adeo sermone trita sunt ut in proverbii usum transierint et mutila atque amputata celeriter a nostro assumantur. Quæ omnia non ipsum librum pervolvens ille transcribebat, sed memoria tenebat, quibus mentem jam a pueris exornaverat, quæ senex adhuc reservaverat : si quando difficillimus fiebat publicarum rerum status, si forte extremum quoddam vitæ discrimen incidebat, aderant statim ad sustinendum et regendum filiolum tanquam venerandi parentes poetæ illi omnes græci, quorum præcepta colebat, hortationes auscultabat, consilia relligiose sequebatur.

Quam excellentes poetæ et in primis quam divinus vates Homerus, ex quo quasi ex fonte perenni profluxerunt boni animi et gloriæ cupido, et mortis contemptus, et in hac quotidiana dimicatione contentio ac pertinacia, ex quo largum virtutis potum hauserunt veteres illi Graii qui nobis æterna dictorum et facinorum exempla tradiderunt, a quo resumere vires adhuc possunt si quæ gentes debilitatæ sunt et enervatæ, cujus quo plures sunt in civitate quadam studiosi sectatores, eo robustior fit tota civitas, qui denique unus inter omnes dignus exstat qui præclaris illis carminibus Romani lyrici extollatur :

> Os tenerum pueri balbumque poeta figurat.
> Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem.
> Mox etiam pectus præceptis format amicis,
> Asperitatis et invidiæ corrector et iræ.
> Recte facta refert, orientia tempora notis
> Instruit exemplis [1].

1. *Horat.*, Epist. II, 1, 126.

SEPTIMUM CAPUT.

QUA RATIONE DE REBUS GRÆCIS GRÆCAS VOCES USURPAVERIT CICERO.

Quemadmodum non M. Tullium reprehendere possis, quod peregrinos poetas commemorans propia eorum effata transcripsit, nec latine interpretatus est, ita scriptores et libros externos suis ipsorum nominibus indicanti ei, aut mores atque instituta Graiorum græcis vocabulis demonstranti assentiri æquum est.

Prædium Epiroticum Attici primo nominat Ἀμαλθεῖον : « Velim ad me scribas cujusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum... et quæ poemata de Ἀμαλθείᾳ habes ad me mittas[1]. » Deinde latine exarat : « Epigrammatis tuis quæ in Amaltheo posuisti contenti erimus[2]. »

Scriptores, in philosophia præsertim versatos, quippe quibus nondum familiariter usi sint Romani, quibus non civitatem dederint, latinus sermo barbaro suo nomine designat.

« Sunt Ἀντιόχεια quæ iste valde probat[3]. » (Antiochi præcepta.)

« Quæ autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent[4]. »

« Quare si quid Θεοφάνης tecum forte contulerit, ne omnino repudiaris[5]. »

« Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας affer mihi de libris Q. Fratris[6]. »

« Ego a Sex. Fadio... librum abstuli Νίκωνος περὶ πολυφαγίας[7]. »

1. *Ad Att.*, I, 16, 18 ; II, 7, 5. — 2. Ibid., I, 16, 15. — 3. Ibid., XIII, 12, 3. — 4. Ibid., XIII, 19, 4. — 5. Ibid., II, 5, 1. — 6. Ibid., II, 3, 3. — 7. *Ad Fam.*, VII, 20, 3.

« Παναιτίου περὶ προνοίας[1]. »

« Cognomen Heracliti, qui σκοτεινός (tenebrosus) perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit[2]. »

« Ἡρώδης, si homo esset, eum potius legeret quam unam litteram scriberet[3]. » Quem Atheniensem philosophum, cui Dicæarchum anteponit, in secundo libro græce appelat, eundem in decimo et quarto latine; qui interim filii Ciceronis magister factus est : « Herodi mandaram ut mihi κατὰ μίτον scriberet[4]. »

Et græcorum συνταγμάτων, quæ primus agresti Urbi illaturus est, extraneas inscriptiones transfert, necdum exteris illis hospitibus frontem et vestem suas aufert :

« Ejus autem quem dixi Hegesiæ liber est Ἀποκαρτερῶν (inedia mortem sibi consciscens)[5].

« Dicæarchi quos scribis libros sane velim mihi mittas : addas etiam καταβάσεως (descensus, sc. in antrum Trophonii)[6].

« Πελληναίων in manibus tenebam et hercule magnum acervum Dicæarchi mihi ante pedes exstruxeram. O magnum hominem!... Κορινθίων et Ἀθηναίων puto me Romæ habere[7]. » (Adde περὶ πολιτείας.)

« Dicæarchi περὶ ψυχῆς utrosque velim mittas[8]. »

Titulus græcus vi indigena opponitur latino verbo contra posito, hac in epistola : « Dicit enim (Cato) tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce sententiam[9]. » Quæ divina civitas remotior eo videtur quod invecticia et extraria ejus est appellatio.

« Memini librum tibi afferri a Demetrio Magnete ad te missum περὶ ὁμονοίας : eum mihi velim mittas. » Cf. infra. « Demetrii Magnetis librum, quem ad te misit *de Concordia*, velim mihi mittas[10]. »

Suo ipse *de Finibus* libro in primis epistolis extraneam inscriptionem apponit : ita exteris litteris et doctrinis imbutum erat opus et vere græcum!

« Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν sane mihi probatam Bruto,

1. *Ad Att.*, XIII, 8. — 2. *De Fin.*, II, 5, 15. — 3. *Ad Att.*, II, 2, 2. — 4. Ibid., XIV, 16, 3. — 5. *Tusc.*, I, 34, 84. — 6. *Ad Att.*, XIII, 31, 2. — 7. Ibid., II, 2, 2. — 8. Ibid., XIII, 32, 2. — 9. Ibid., II, 1, 8; IV, 16, 3. — 10. Ibid., VIII, 11, 7; VIII, 12, 6.

ut tibi placuit, despondimus[1]. » — « Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoïca M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni darem[2]. » Nec mirum : importatæ annonæ nota græca.

Quando autem institutum aliquod vel usum populorum græcorum demonstrat, ut rei et verbo ingenitam auctoritatem observet, tunc græcum verbum arripit, etiamsi romanum adest et ei suppeditat : quæ consuetudo omnino haud reprehendenda judicatur :

« Romanæ autem se res sic habent : senatus Ἄρειος πάγος ; nihil constantius, nihil severius, nihil fortius[3]. » Quæ similitudo romani concilii cum græco consessu ex adhibita locutione barbarica et insignior exit et magis viva.

Quemadmodum gymnasiorum consuetudinem, ita nomen Quirites ex Graiis sunt mutuati : quod tanquam hospitum et extorre non comitata sunt vocabula ab eadem stirpe protecta : migrantem avum deseruerunt nepotes : « Tu velim si qua ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sint ejus quem tu non ignoras, ne prætermittas[4]. »

« Quos Græci δαίμονας appellant, nostri, ut opinor, Lares, si modo hoc recte conversum videri potest[5]. »

« Quodsi δήμους oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium quam Piræus[6]. »

« Ex provincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiarius usus quam Androne[7]. » Διοίκησις dicitur portio quædam provinciæ cujus administratio et jurisdictio prætori commissa est, cum de Græcis vel Asiaticis sermo est. (Ern.)

« Ego usque eo sum enervatus, ut hoc otio quo nunc tabescimus malim ἐντυραννεῖσθαι, quam cum optima spe dimicare[8]. » Non regem asiaticum regnumve, sed τύραννον græcum, eum qui publica re civitatis vi et armis potitur, destinat.

Romanos veteres ex disciplinis externis id unum adsci-

1. *Ad Att.*, XIII, 12, 3. — 2. Ibid., XIII, 19, 4. — 3. Ibid., I, 14, 5. — 4. Ibid., I, 6, 2; I, 9, 2. — 5. *De Univ.*, c. 11. — 6. *Ad Att.*, VII, 3, 10. — 7. *Ad Fam.*, XIII, 67, 1. — 8. *Ad Att.*, II, 14, 1.

visse quod ad rei publicæ vel privatæ utilitates pertineret, consentaneum est, et eos θεωρικοῖς πρακτικὰ multo præposuisse. Cicero quodam modo item : « Te istam tam tenuem θεωρίαν tam valde admiratum esse gaudeo, sed quid ad τέλος[1]? » (de libello scilicet Tyrannionis qui de accentibus exponit). Atticior T. Pomponius, latinior M. Tullius.

« Sed quid ago? non imitor λακωνισμὸν tuum : altera jam pagella procedit[2]. »

« Nullos honores mihi nisi verborum decerni sino : statuas, fana, τέθριππα prohibeo[3]. » Quos quadrigas provinciæ græcæ et asiaticæ in fastigiis templorum vel in arcubus ponere solebant. (Orell.)[4].

« Nihil enim tam σόλοικον, quam τυραννοκτόνους in cælo esse, tyranni facta defendi[5]. » Sub verbo græco exclamat Bootius : « Miror cur Cicero non potius tyrannicidas appellaverit. » Nempe quia cum hospita appellatione redeunt in memoriam tyrannicidæ illi attici, qui omnibus in ore sunt, qui a poetis quam maxime elati fuerunt, quibuscum autem Brutum et Cassium laudandi causa Cicero confert, Harmodius et Aristogito.

« Quare, ut opinor, φιλοσοφητέον, id quod tu facis, et istos consulatus non flocci facteon[6]. »

Si forte Cicero de doctrina quadam vel grammatica vel philosophica in epistolis loquitur, sæpius græca vocabula usurpat, quanquam latinus sermo latina suppeditat et ea usitata atque subtilia. Extrariam dictionem præoptat quod a quodam vel grammatico vel philosopho celebrata propriam vim retinet, et tanquam referta videtur hac tota disciplina. Aliquando et jocandi gratia exteris litteris et scholasticis exercitationibus alludit, quibus animus informatus est, quarum imaginem in memoria insculptam habet :

Ἐν παρέργῳ, in transitu : « Ἐν παρέργῳ; de dictatore... actum adhuc nihil est. Cf. : « Ἐν παρόδῳ... regem regnumque servari[7]. »

1. *Ad Att.*, XII, 6, 2. — 2. Ibid., XI, 25, 2. — 3. Ibid., V, 21, 7. — 4. *T.*, Liv. XXXV, 41. — 5. *Ad Att.*, XIV, 6, 2. Cf. *Tusc.*, I, 49, 116. — 6. *Ad Att.*, I, 16, 3. — 7. *Ad Quint.*, III, 3, 3; *ad Att.*, V, 20, 6.

Ἐπιφωνήματα, laudes. « Quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem, cum hæc domi nascantur[1]? »

Σχόλιον, explicatio. « Etsi, quid jam opus est σχολίῳ? Si perseverassem, opus fuisset[2]. »

Προλεγόμεναι, præfatio. « Veni igitur, si vis, et disce a me προλεγομένας quas quæris. Etsi sus Minervam[3]. »

Ἀρχή initium. « Δυσουρία tua mihivalde molesta est. Medere, amabo, dum est ἀρχή[4]. » *Initium* non erat medicorum romanorum libris tanquam consecratum, sicut ἀρχή græcorum.

Ἀρετὴ non est διδακτὸν, virtus non doceri potest. « Quodsi adhuc nullum est (ἦθος), esse tamen potest, aut ἀρετή non est διδακτόν, quod mihi persuaderi non potest[5]. » De hac disputatione multa quæsiverunt philosophi græci. Sæpius etiam tetigit eam Plato, maxime in Menone, in cujus libri exordio ponitur quæstio : ἆρα διδακτὸν ἡ ἀρετή[6];

Τέλος, extremum. « Sed, quæso, quid ex ista acuta et gravi refertur ad τέλος[7]? » Τέλος est solenne græcorum philosophorum verbum, cujus vis subtilior est quam « extremum, » quanquam idem significat. Cf. : « Quoniam id est vel summum bonorum vel ultimum vel extremum (quod Græci τέλος nominant)[8]. »

Ἡδονή, voluptas. Item Cassius Ciceroni : « Itaque et Pansa, qui ἡδονὴν sequitur, virtutem retinet[9]. » Verbo ἡδονή Epicuri præceptis familiariter alludit.

Quamobrem haud dubio Wesenbergium probaverim qui in hoc Tusculanarum loco : « Id quod constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoïci βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem[10], » legendum suspicatur « appellemus » (quod Baiterus aliique receperunt), quod indicativus falsam illam habeat sententiam, id constantiæ genus quod Stoïca quadam terminologia βούλησις appelletur, a latinis vulgo appellari voluntatem esse solitum; Ciceronem autem hoc dixisse, licere latino vocabulo, quod vulgari dicendi

1. *Ad Att.*, I, 19, 3. — 2. Ibid., XVI, 7, 3. — 3. *Ad fam.*, IX, 18, 3. — 4. *Ad Att.*, X, 10, 3. — 5. Ibid., X, 12, 7. — 6. *Ad h. l.*, Bootius. — 7. *Ad Att.*, XII, 6, 1. — 8. *De Fin.*, I, 12, 42. — 9. *Ad Fam.*, XV, 19, 3. — 10. *Tusc.*, IV, 6, 2.

consuetudine latius pateret, sic quoque uti, utque sic uterentur hortatum esse[1].

Raro accidit ut Cicero aliquot cujusdam scriptoris verba sibi assumat, quæ, cum ne minime quidem plura significent quam latinum vocabulum, nulla ratione deligenda sint et excerpenda.

Ἐκβολή digressio. « Sed hæc fuerit, ut ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis[2]. » Cur vox *digressio* repudiata fuerit hac epistola nescio.

Στερέμνια firma. « Ut ea quæ ille propter firmitatem στερέμνια appellat[3]. » Cur non adjectivo « firmus » usus sit, non liquet.

Aliquoties igitur affectatus videtur sermo græcus qui a Cicerone ex sapientium libris sumitur, nec sæpe se non humanissimum oratorem gerit noster, at pædagogum. A scolaribus autem controversiis consuetudinem secum de omni re disputandi habet, immo græce disceptandi. Si quando imminet grave rei publicæ periculum. non statim ille consilium concipit, neque protinus in medias dimicationes se projicit et usquequaque easdem partes defendit. At incertus et anceps animus diu multumque deliberat, utrumque momentum perpendit, quid alteræ partes valeant, quid non, ponderat; in utramque sententiam, sicuti quondam discipulus per umbratilia studia adolescentiam degens, diserte disserit, neque illi desunt utrinque rationes ut discernat in utram viam officium et fides, in utram commodum vel compendium impellat; denique, cum subtilius dispexerit unius et alterius partis infirmitates et vitia aut virtutes, quippe qui acutissimus et maxime instructus accesserit ad artem dialecticam, tunc fit animus ejus hæsitantior et magis errabundus. Quas cunctationes totius vitæ illi consuetudini exercitationum græcarum, quibus in schola attica vel rhodiensi admodum juvenis θέσεις et ἀντιθέσεις vicissim amplificaret, quadam ratione adjudicare non dubitaverim. Nunquam obsolevit ipsi, quanquam ætate provecto, illud institutum, utrinque disceptandi græcorum ludorum more. Etenim non ille ab iratis Musis præditus erat mente illa, qua πολιτικός τις

1. Notula Kuehneri, *H. l.* — 2. *Ad Att.*, VII, 1, 6. Cf. *Thuc.*, I, 97. — 3. *De Nat. D.*, I, 19, 49.

ἀνὴρ nihil aliud probandum judicat, nisi quod semel amplexus sit, qua eandem viam usque ad finem improbus et acer calcat. At ingenium Ciceronis miserrime sagax, acutius etiam et magis perspicax factum erat græca illa controversiarum disciplina.

Quæ umbraticæ consultationes quantis in discriminibus a nostro adhibeantur, quartam noni libri epistolam totam pervolventes admiramur. Cæsar enim hostis adventat, Magnus ille fugit, dubitat autem vir consularis utrum in Italia remanere an fugæ Pompeii socium se addere deceat. Abundant igitur utrinque rationes, nec certum Attici ipsius consilium :

« O rem difficilem, planeque perditam ! Quam nihil prætermittis in consilio dando ! Quam nihil tamen quod tibi placeat explicas ! Non esse una me cum Pompeio gaudes ; ac proponis quam sit turpe me adesse (inimicis ejus)[1]... »

Quam ad tergiversationem molestissimam eximendam, statim concurrunt scholasticæ controversiæ, exteris locutionibus tractatæ, quoniam eæ sunt exterorum rhetorum exercitationes.

« Ego etsi tamdiu requiesco, quamdiu aut ad te scribo aut tuas litteras lego, tamen et ipse egeo argumento epistolarum et tibi idem accidere certo scio : quæ enim soluto animo familiariter scribi solent, ea temporibus his excluduntur, quæ autem sunt horum temporum, ea jam contrivimus. Sed tamen, ne me totum ægritudini dedam, sumpsi mihi quasdam tanquam θέσεις, quæ et πολιτικαὶ sunt et temporum horum, ut et abducam animum ab querelis et in eo ipso, de quo agitur, exercear. Eæ sunt hujusmodi :

Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ; τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν ; εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται ; εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον ἢ πολέμῳ ; εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι ; εἰ πόλεμος ἐπακτέος τῇ χώρᾳ καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην ; εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννί-

1. *Ad Att.*, IX, 12 a, 1.

δος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις; εἰ τοῖς εὐεργέταις καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων; εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα ευεργετήσας, δι αὐτὸ δὲ τοῦτο ανήκεστα παθὼν καὶ φθονηθείς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος; εἰ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ισχύοντας διὰ πολιτείας[1];

« In his ego me consultationibus exercens et disserens in utramque partem tum græce tum latine, et *abduco .parumper* animum a molestiis, et τῶν προὔργου τι delibero[2]. »

In nona autem hæc addit : « Faciamus igitur ut censes, colligamusque nos : σοφιστεύω enim, simul ut rus decurro, atque in cursu θέσεις meas commentari non desino[3]. »

Dum civilibus bellis Italia conflagrat, θέσεις commentatur Cicero, tanquam græculus σοφιστής.

1. Cetera Græca satis expedita sunt, ultimam vero quæstionem sic enuntia : « Sitne ei concedendum ut sui aliquando et suorum curam gerat, omissis adversus potentes concertationibus civilibus ? » (Ern.). — 2. *Ad Att.*, IX, 12 a, 1 (ed. Boot). — 3. Ibid., IX, 9.

OCTAVUM CAPUT.

QUONAM MODO PHILOSOPHIÆ AC RHETORICÆ LINGUAM EX GRÆCO THESAURO DITAVERIT.

Et philosophia ac rhetorica erant græcæ, de quibus pessime latinus sermo, ante M. Tullium συντάγματα sua edentem, disseruerat. Hæc Ciceronis opera græcis verbis referciuntur; neque tantummodo ut sensum scriptoris efferant, sed et ad ditandas atque ad augendas patrias voces extera vocabula insumuntur. His enim in dialogis, cuique dictioni græcæ romana una pluresve se comites adjungunt, quæ extraneas illas, velut umbra corpus, sectantur.

Cur ante latinas illas locutiones ubique apud hunc disceptantem procedat græcum dictum, diversæ suppeditant rationes. Is qui, cum ante plebem forensem causas ageret, se maxime expertem græcarum litterarum fingebat exstitisse, qui clarissimi artificis græci ne nomen quidem memoria se retinuisse simulabat, idem, si quando ad litteratos cives erudiendos conscribit, eorumque judicio pergratus esse cupit, non modo quanta sit in ipso alienigenæ doctrinæ scientia non jam abdit, sed etiam disciplinam suam præ se fert et nunc gloriatur. Nemini dubium est, συγγράμματα philosophica aut rhetorica revolventi, quin sæpius in hospitis verbis proferendis ostentare velit Cicero quousque cognitiones suæ progrediantur. Nam sperat se ipsum miraturos esse Quirites illos, qui doctrinarum advecticiarum studia ne summis quidem labris delibaverunt. Præterea græcum vocabulum novam latinæ vocis significationem vel formam explanat et quasi clientem patronus legenti commendat. Si qui litteris græcis erudiuntur, ex noto importatæ dictionis sensu novam patriæ locutionis virtutem colligunt. Cum autem pluribus

romanis verbis, nec jam uno, unum vocabulum græcum transferat M. Tullius, ei destinatum est ut desertum et exiguum hoc videatur, civibus suis mirantibus multa illa et redundantia : jejunior hæc lingua, illa autem pinguior existimabitur, Ciceronis quidem ingenio et opera.

Nobis igitur requirendum est num exteris nominibus transferendis assumendisve, vel in italicam humum inserendis, patrium sermonem extenderit Cicero. Qua de re ecce profitens de se ipso M. Tullius :

« Dabitis enim profecto (inquit Varro), ut in rebus inusitatis — quod Græci ipsi faciunt, a quibus hæc jam diu tractantur — utamur verbis interdum inauditis. — Nos vero, inquit Atticus; quin etiam Græcis licebit utare, quum voles, si te latina forte deficient. — Bene sane facis; sed enitar ut latine loquar, nisi in hujuscemodi verbis, ut philosophiam, aut rhetoricam, aut physicam, aut dialecticam appellem, quibus, ut aliis multis, consuetudo jam utitur pro latinis...; dialecticorum (græcorum) verba nulla sunt publica, suis utuntur. Et id quidem commune omnium fere est artium. Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina; aut ex aliis transferenda. Quod si Græci faciunt, qui in his rebus tot jam sæcula versantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui hæc nunc primum tractare conamur? — Tu vero, inquam, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris, ut effecisti, sed etiam verborum[1]. »

Num dignus sit Cicero qui tantas laudes sibi, non Varroni, mente tribuat, nobis propositum est ut ex documentis argumentemur. In illa victoris et victi populi certatione honesta, uter utrum superavit? Latini autem sermonis defensor et patronus omni vi et audacia dimicavitne, annon?

Plurima occurrunt verba latina, quibus græcas voces optime transtulit et interpretatus est, significationem novam iis adjiciens, eamque dilucidam : hæc invenit quoties, post exteram appellationem, romanam unam reposuit, neque plura incerto lectori et hærenti obtulit :

'Αξία, æstimatio. « Nam cum æstimatio, quæ ἀξία dicitur,

1. *Acad.*, I, VI, 24; VII, 25, 26.

neque in bonis numerata sit, neque rursus in malis, quantumcumque eo addideris, in suo genere manebit[1]. »

Ἡγεμονικόν, principatus, « In arborum autem et earum rerum, quæ giguuntur e terra, radicibus inesse principatus putatur. Principatum autem id dico quod Græci ἡγεμονικόν vocant, quo nihil in quoque genere nec potest nec debet esse præstantius[2]. »

Ἀπειρία, infinitio. « Infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo (Democrito) est[3]. »

Δόγματα, decreta, « Sapientiæ vero quid futurum est! Quæ neque de se ipsa dubitari debet, neque de suis decretis quæ philosophi vocant δόγματα, quorum nullum sine scelere prodi poterit[4]. »

Καθῆκον, officium. « Quod de inscriptione quæris, non dubito quin καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud[5]. »

Ἰσονομία, æquilibritas. « Hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est æqualem tributionem. » — « Confugis ad æquilibritatem; sic enim ισονομίαν, si placet, appellemus[6]. »

Κόμματα et κῶλα, incisa et membra. « Nam cum sis iis locis usus, quibus ostendi licere, transferenda tota dictio est ad illa quæ nescio cur, cum Græci κόμματα et κῶλα nominent, nos non recte incisa et membra dicamus[7]. »

Πρόσληψις, assumptio. « Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea quæ λήμματα appellant dialectici; sed nos latine loqui malumus : assumptio tamen, quam πρόσληψιν iidem vocant, non dabitur[8]. »

Ῥυθμός, numerus. « Quidquid est enim quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si abest a versu (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur, qui Græce ῥυθμός dicitur[9]. »

Verba hæc omnia quæ recte barbaras dictiones interpretantur reperire, iisque latinam paupertatem locupletare, id erat mentis studium, quæ peracuta esset et patriis græcisque litteris eruditior quam quæ maxime, non autem audacissimi cujusdam ingenii labor vel honos is erat.

1. *De Fin.*, III, 10, 34. — 2. *De Nat. D.*, II, 11, 29. — 3. *De Fin.*, I, 6, 21. Cf. Klotz, *Lat. Stil.*, p. 89. — 4. *Acad.*, II, 9, 27. — 5. *Ad Att.*, XVI, 11, 4. — 6. *De Nat. D.*, I, 19, 50; I, 39, 109. — 7. *Orat.*, 62, 211. — 8. *De Divin.*, II, 53, 108. — 9. *Orat.*, 20, 67.

Plures vero adsunt loci, ubi M. Tullius uni græco nomini duo, tria vel quattuor vocabula latina adjunxit : nempe conabatur ut humanissimus quisque civis admiraretur quantum verbis et opibus abundaret italicus sermo, quoties ex ore et stylo Ciceronis proflueret. Ad hoc, quæcumque voces memoriæ transferentis suppeditabant, omnes benevolus excipiebat, nedum ad eligendam unam ex pluribus laboraret, quæ præsertim cum extrariæ locutionis vi ac significatione congrueret. Cum autem non tu pervolvens eligas, in dubio adhuc exstat utra ex duabus præoptanda sit; quamobrem fluitat lingua neque firmatur.

Ἐπιγεννηματικόν, posterum. « Quod illi ἐπιγεννηματικόν appellant, posterum quodam modo et consequens putandum est[1]. »

Ἰδέαι, formæ quæ generibus objiciuntur. « Has rerum formas appellat ἰδέας... Plato. — Hanc illi ἰδέαν appellabant jam a Platone ita nominatam : nos recte speciem possumus dicere[2]. »

Ἀξίωμα, enuntiatum. « Nempe fundamentum est dialecticæ, quidquid enuntietur (id autem appellant ἀξίωμα, quod est quasi effatum) aut verum esse aut falsum[3]. » — Explicanda vis est ratioque enuntiationum, quæ Græci ἀξιώματα vocant[4]. » — Omne pronuntiatum (sic enim mihi in præsentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα, utar post alio, si invenero melius) id ergo est pronuntiatum quod est verum aut falsum[5]. ».

Προηγμένον, productum. « Sed ea quæ secundum locum obtinent, προηγμένα id est producta nominentur. Quæ vel ita appellemus (id erit verbum e verbo) vel promota, vel, ut dudum diximus, præposita vel præcipua[6]. »

Ἐνάργεια, perspicuitas. « Perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus fabricemurque, si opus erit, verba[7]. »

Σχήματα sunt gestus quasi orationis, sententiarum orationisque formæ[8], verborum et sententiarum lumina[9], ornamenta verborum sententiarumve[10].

1. *Fin.*, III, 9, 32. — 2. *Orat.*, 3, 10; *Acad.*, I, 8, 30; *Tusc.*, I, 24, 58. — 3. *Acad.*, II, 29, 95. — 4. *De Fato*, 1, 1; 10, 20; 10, 21. — 5. *Tusc.*, I, 7, 14. — 6. *De Fin.*, III, 15, 51; 16, 52. — 7. *Acad.*, II, 6, 17. — 8. *Or.*, 25, 83; *Brut.*, 17, 69. — 9. *Brut.*, 79, 275. — 10. *Top.*, 8, 34.

Σωφροσύνη, temperantia. « Eam virtutem σωφροσύνην Græci vocant, quam soleo equidem tum temperantiam tum moderationem appellari, nonnunquam etiam modestiam[1]. »

Nimis multa latina transferenti Ciceroni concurrunt : εἷς ἐμοὶ μύριοι, modo sit εἷς rectus. Non M. Tullius linguam patriam auget, sed suam copiosi oratoris famam.

Quandoquidem nostrum deficit una dictio latina quæ idem valeat atque alienigena, ampla verborum circuitione sensum ita amplectitur ut lector quidem sententiam perspiciat, non autem ut in perpetuum patria lingua ornetur.

Ἠθικόν. « Quorum alterum est quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturam et ad mores et ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum ; alterum quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concitantur[2]. »

Τελικά. « Bonorum alia... ad illud ultimum pertinentia, sic enim appello quæ τελικὰ dicuntur[3]. »

Ἀντίθετα. « Semper hæc, quæ Græci ἀντίθετα nominant, cum contrariis opponuntur contraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, etiam sine industria[4]. »

Ενθύμημα. « Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi ἐνθυμήματα appellant. » — « Illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio... quæ a rhetoribus ἐνθύμημα nuncupatur[5]. »

Εὐταξία. « Illa est εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conservatio[6]. »

Nullum fere fructum ex illis locutionum circuitionibus decerpebat romanus sermo, siquidem ea vocatur inops lingua quæ unumquamque rem vel animi sententiam et motum, uno nomine designare nequit.

Insunt etiam in operibus de philosophia ac rhetorica tractantibus et in epistolis aliquot barbarica vocabula quæ nullo modo immutata ex attico solo in italicam terram transposuit M. Tullius, postquam ea litterarum latinarum habitu induit, si modo librorum manuscriptorum litteris fidem de hac scriptura adhibemus.

Epicopum. « Quinto non. conscendens ab hortis Cluvianis

1. *Tusc.*, III, 8, 16. — 2. *Orat.*, 37, 128. — 3. *De Fin.*, III, 16, 55. — 4. *Or.*, 50, 166. — 5. *Top.*, 13, 55 ; 14, 56. — 6. *De Off.*, I, 40, 142.

in phaselum epicopum has dedi litteras[5]. » Cf. : « Ἄφρακτα Rhodiorum et δίκροτα Mytilenæorum habebam et aliquid ἐπικώπων[1]. »

Epilogus. « Exstat ejus oratio qui epilogus dicitur[2]. » Quod nomen verbis « conclusio, peroratio » cur anteponat M. Tullius non certum videtur.

Sillybi. « Nihil venustius quam illa tua pegmata, posquam sillybis libros illustrarunt. » Cf. : « Iis imperes ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, σιλλύβους appellatis[3]. » Quod exemplum vocem ex græco in latinum thesaurum cito descendentem demonstrat, ex quarta scilicet in octavam ejusdem libri epistolam.

Quoties in linguam aliquam irrumpunt non hospites sed hostes alienigenæ dictiones excerptæ, et eam tanquam expugnatam occupant, toties non tam uberior et ditior fit illa quam impurior, et barbaris illis infensisque finitimis exstat quasi polluta. Quam irruptionem quisnam Gallus nunc expertus non deploret et respuat?

Perrara apparent in tullianis dialogis nova nomina. Quæ autem ex græcorum imagine effinxerit vix duo aut tria reperias : inaudacissimum illum in fingendis novis verbis jam dudum diximus.

Veriloquium. « Quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id est verbum ex verbo *veriloquium* : nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus[4]. »

Medietates. « Media... vix enim audeo dicere *medietates*, quas Græci μεσότητας appellant[5]. »

« Qualitates igitur appellavi, quas ποιότητας Græci vocant : quod ipsum apud Græcos non est volgi verbum, sed philosophorum[6]. »

Certe quidem non nos vituperassemus Ciceronem, si sæpius uti ausus esset hac licentia novas locutiones fingendi, quam sibi *Academicorum priorum secundo libro* vindicaverat. Quidquid autem de hac nimia diffidentia judicamus,

1. *Ad Att.*, XIV, 16, 1; V, 11, 4. — 2. *Brut.*, 33. — 3. *Ad Att.*, IV, 8 a, 2. — 4. *Top.*, 8, 35. — 5. *Tim.*, 7. — 6. *Acad.*, I, 7, 25. Cf. Klotz, *Lat. Stil.*, p. 89.

cum Carolo Causeret disserente dicimus : « Cicéron ne fut pas toujours heureux dans la lutte corps à corps qu'il engagea avec le grec ; mais il ne négligea rien pour mener à bien cette entreprise périlleuse. Si Cicéron n'a pas fait mieux, c'est qu'apparemment il n'y avait pas possibilité de faire mieux.

« Loin de le blâmer, il faut le féliciter de son courage. Tout en notant soigneusement les défauts et les imperfections de sa traduction, il faut lui savoir gré d'avoir eu foi dans la langue nationale des Romains et de n'avoir pas suivi le conseil qu'on lui donnait d'employer tels quels les mots difficiles de la rhétorique grecque, ou au moins de les transcrire en latin. Cicéron aimait, admirait trop la langue de ses compatriotes pour recourir à ce procédé commode de la transcription... Quintilien, plus tard, n'éprouva pas les mêmes scrupules ; il n'eut pas la même fierté nationale[1]. »

1. Causeret, *La langue de la rhétorique dans Cicéron*. Paris, in-8°, 1886, p. 208. Conclusion.

NONUM CAPUT.

DE VOCIBUS GRÆCIS OB BREVITATEM ELECTIS.

Tullianarum orationum quando productas illas verborum complexiones atque copiosas continuationes evolvimus, perfecto completoque locutionum ambitu permulcentur aures ac leniuntur. Conjunctionibus illis quæ numerose cadunt et quadrant, atque appellationum circuitu constructiones ita perficiuntur ut amplissimæ nobis videantur et tanquam rotundæ. Qui in orationibus fusam illam amplitudinem prosequebatur, idem in epistolis brevitatem loquendi sæpe sectatus est, ut res ipsis tantummodo nominibus necessariis expediret et quam paucissimis. Quare crebro compositas et junctas voces non modo pervulgatas sed etiam ἅπαξ εἰρημένας ex atticis scriptoribus duxit. Scilicet non ita flexibilis et lenta erat patria lingua quæ, sicut græca, se ad componendas locutiones accommodaret.

« Zur Entlehnung fremden Sprachguts wurden die Rœmer durch die Unbeholfenheit ihrer Sprache in den Wortzusammensetzung veranlasst, eine Eigentümlichkeit, die sich auch auf die Romanischen Zoechtersprachen vererbt hat. Schon Lucrez I. 830 erwæhnt diesen Mangel :

Nunc et Anaxagoræ scrutemur homœomeriam,
Quam Graii memorant nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patriæ sermonis egestas,
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis [1]. »

Permulta sunt in primis verba quibus præponitur ἀ privativum :

1. O. Weise, *Charakteristik der lateinischen Sprache* (Leipzig, 1891), p. 23.

'Αδέσποτοι, sine auctore[1]. « Rumores tristiores, sed ἀδέσποτοι[2]. »

'Ακίνδυνα, sine periculo. « Illud mihi gratissimum fuit, quod Attica nostra rogat te ne tristis sis, quodque tu ἀκίνδυνα esse scribis[3]. »

Ἄμεμπτα, non accusanda. « Ista puto ἄμεμπτα fore : verum ut lubebit[4]. »

'Ανεμέσητον, nulli reprehensioni obnoxium. « 'Ανεμέσητον γάρ, caret enim invidia[5]. »

'Ανιστορησία, inscitia historiarum. « O ἀνιστορησίαν turpem[6]. »

'Απάλαιστροι, palæstræ expertes. « Qualis eorum motus quos ἀπαλαίστρους Græci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias[7]. »

'Απολιτικώτατος, rei pubicæ gerendæ inscius. « Quem ego hominem ἀπολιτικώτατον omnium jam ante cognoram, nunc vero etiam ἀστρατηγικώτατον[8]. » Cf. ἀπρακτότατος rebus agendis ineptissimus.

Ex tribus partibus constant eac, quæ cum privativo ἀ conjunguntur :

'Αδωροδόκητος, incorruptus a largitione. « Insidiatoribus ejus ἀπρόσιτον me, non modo ἀδωροδόκητον præbui[9]. »

'Ακενόσπουδος, abhorrens a studio rerum inanium. « Mehercule puto te sapienter facturum, si ἀκενόσπουδος fueris[10]. »

'Ακολακεύτως, sine assentatione. « Itaque scripsi et ἀκολακεύτως et tamen sic ut nihil eum existimem lecturum libentius[11]. »

'Αναντίλεκτος, cui nemo refragari potest. « Opposuisti semel ἀναντίλεκτον causam Ciceronis nostri valetudinem ; conticui[12]. »

'Αναντιφωνησία, taciturnitas. « Melior est ἀναντιφωνησία, qua me usurum arbitror[13]. » Cf. : « Ecce autem alia pusilla epistola, quam non relinquam ἀναντιφώνητον[14]. »

1. *Ad Att.*, XV, 17, 3. — 2. Ibid., XIII, 19, 1. — 3. Ibid., VII, 1, 9. — 4. Ibid., XII, 12, 2. — 5. Ibid., VI, 1, 8. — 6. *Orat.*, 68, 229. — 7. *Ad Att.*, VIII, 16, 1. Cf. I, 14, 6. — 8. Ibid., V, 20, 6. — 9. Ibid., V, 20, 6. — 10. *Ad Fam.*, XV, 17, 4. — 11. *Ad Att.*, XIII, 51, 1 ; *ad Quint.*, II, 10, 1. — 12. *Ad Att.*, XV, 13, 2. — 13. Ibid., VI, 1, 23. — 14. Ibid., XVI, 7, 5.

Ἀναπολόγητον, quod nulla ratione defendi potest. « Hoc vero nihil turpius quovis rei publicæ tempore, sed hoc ἀναπολόγητον [1]. »

Ἀπαρρησίαστος, libertate dicendi carens. « Scit ἀπαρρησίαστον esse in ea causa querelam suam [2]. »

Ἀφιλόδοξος, ambitione vacans. « Quin etiam, quod est subinane nobis et non ἀφιλόδοξον — bellum est enim sua vitia nosse — id afficitur quadam delectatione. » Quæ vox est ἅπαξ εἰρημένη [3].

Componuntur autem præposita vocula εὐ quæ subsunt :

Εὐαγγέλια, læti nuntii eorumque præmia. « O suaves epistolas tuas uno tempore mihi datas duas : quibus εὐαγγέλια quæ reddam nescio : deberi quidem plane fateor [4]. »

Εὐανάτρεπτος, qui facile potest everti. « Nihil est jam quod magis timendum nobis putem, quam ne ille noster Sampsiceramus, cum se omnium sermonibus sentiet vapulare et cum has actiones εὐανατρέπτους videbit, ruere incipiat [5]. »

Cum præpositione συν hæc :

Συμπάθεια, animi commotio ex commiseratione. « Valde mehercule mihi gratum, si Eutychides tuam erga me benevolentiam cognoscet et suam illam in meo dolore συμπάθειαν neque tum mihi obscuram neque post ingratam fuisse [6]. »

Συνδιημερεύομεν, simul diem conterimus. « Lepido quidem — nam fere συνδιημερεύομεν, quod gratissimum illi est — nunquam placuit Italia exire [7]. »

Συννοσεῖν, una ægrotare. « Cura, amabo te, Ciceronem nostrum : ei nos συννοσεῖν videmur [8]. »

Σύνταγμα, opus ordine compositum, præsertim litterarum. « Ego hic duo magna συντάγματα absolvi [9]. » (Cf. σύνταξις, *ad Att.*, XIII, 16, 1).

Συμφιλοδοξεῖν, simul gloriæ servire. « Nam omnes mirifice συμφιλοδοξοῦσιν gloriæ meæ [10]. »

1. *Ad* Att.,, IX, 2a, 2. — 2. Ibid., II, 17, 2. — 3. Ibid., II, 12, 1. — 4. Ibid., IV, 7, 1. — 5. Ibid., II, 14, 1. — 6. *Ad Att.*, IV, 15, 1. — 7 Ibid., VIII, 9, 3. — 8. Ibid., II, 2, 1. — 9. Ibid., XII, 45, 1 ; XVI, 3, 1. Cf. Cælium, *ad Fam.*, VIII, 3, 3; *De quo vide Burg. De Cælii Rufi genere dicendi* (Leipzig, 1888), p. 50. —10. *Ad Att.*, V, 17, 2.

Συμφιλοσοφῆσαι, una cum alio philosophari. « Fratrem mecum et te si habebo, ... vobis συμφιλοσοφῆσαι possum[1]. »

Cum adjectivo φίλος conjunguntur plura :

Φιλαίτιος, accusandi et querendi cupidus. « Neque Tuberonem volo offendere. Mirifice est enim φιλαίτιος[2]. »

Φιλαυτία, amor sui ipsius. « Libri quidem ita exierunt — nisi forte me communis φιλαυτία decipit — ut in tali genere ne apud Græcos quidem simile quicquam[3]. »

Φιλέλληνες, græcorum amantes. « Præter ceteros φιλέλληνες et sumus et habemur[4]. »

Φιλένδοξος, amator illustrium virorum. « In Varrone ista causa me non moveret, ne viderer φιλένδοξος[5]. »

Φιλήδονος, voluptatis amator. « Ii qui a vobis φιλήδονοι vocantur sunt φιλόκαλοι et φιλοδίκαιοι, omnesque virtutes et colunt et retinent[6]. »

Φιλοθέωρος, spectandi cupidus. « Quod in Britannia non nimis φιλοθέωρον te præbuisti, plane non reprehendo[7]. »

Φιλόπατρις, patriæ amans. « Quem φιλόπατριν ac πολιτικὸν hominis prudentis et amici tali admonitu non moveret auctoritas[8]? »

Φιλορήτωρ, studiosus artis dicendi. « Liber tibi mittetur (oratio Metellina), quoniam te amor nostri φιλορήτορα reddidit[9]. »

Alia permulta sunt quæ adhibuisse videtur Cicero ut uno vocabulo juncto complura verba latina effugeret, ex quibus hæc sunt excerpenda :

Ἀντίχθων, terra opposita pedibus nostris. « Altera australis, ignota nobis, quam vocant Græci ἀντίχθονα[10]. »

Ἀπότευγμα, spei frustratio. « Ubi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα vel non magnum molestum futurum sit, quid opus est παρακινδυνεύειν[11]. »

Ἀριστοκρατικῶς, accommodate ad statum et sensum optimatium. « Tunc Pompeius μαλ' ἀριστοκρατικῶς locutus est[12]. »

1. *Ad Att.*, IV, 18, 2. — 2. Ibid., XIII, 20, 2. — 3. Ibid., XIII, 13, 1. — 4. Ibid., I, 15, 1. — 5. Ibid., XIII, 19, 3. — 6. *Ad Fam.*, XV, 19, 3, a Cassi o. — 7. Ibid., VII, 16, 1.— 8. *Ad Att.*, IX, 10, 5. — 9. Ibid., I, 13, 5. — 10. *Tusc.*, I, 28, 68. — 11. *Ad Att.*, XIII, 27, 1. — 12. Ibid., I, 14, 2.

Αὐθεντικῶς certo auctore. « Id enim αὐθεντικῶς nuntiabitur [1]. »

Ἀφομιλεῖν a colloquio alicujus separare se. « Demetrius venit ad me, quo quidem comitatu ἀφωμίλησα satis scite [2]. »

Γλυκύπικρον dulce et amarum « Γλυκύπικρον illud confirmas, moram mihi nullam fore [3]. »

Ἐνθουσιασμός afflatus divinus. « Deversibus quos tibi a me scribi vis, ... abest ... ἐνθουσιασμός [4]. »

Κενόσπουδα inanis studii plena. « Sed hæc fortasse κενόσπουδα sunt; quæ tamen jam sciantur necesse est [5]. »

Ἡμερολεγδόν, ut quæque singulis diebus acciderunt. « Multis quidem de rebus (litteras dedi), ἡμερολεγδὸν perscripta omnia [6]. »

Θορυβοποιεῖν, terrorem excitare. « Quod timidus ipse est, θορυβοποιεῖ [2]. »

Ἰσοδυναμοῦσα, idem valens. « Ego tamen habeo (exceptionem) ἰσοδυναμοῦσαν, sed tectiorem [8]. »

Μισάνθρωπος, osor generis humani; μισογυνεία, odium erga mulieres, ere. « Quæ autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu, ut odium mulierum, quale in μισογυνείᾳ Atili est, ut in hominum universum genus, quod accepimus de Timone qui μισάνθρωπος appellatur [9]. »

Οἰκοδεσποτικά, patrifamilias convenientia. « Illa Silii et Drusi (loca) non satis οἰκοδεσποτικά mihi videntur [10]. »

Ὁμοπλοία, societas navigandi. « Hæc autem navigatio habet quasdam suspiciones periculi. Itaque constituebam uti ὁμοπλοίᾳ. Paratiorem offendi Brutumquam audiebam [11]. »

Ὀψιμαθεῖς, sero discentes : « Ὀψιμαθεῖς homines scis quam insolentes sint [12]. »

Παρεμβεβλημένοι inserti fraude. « Ego tanquam criticus antiquus judicaturus sum, utrum sint τοῦ ποιητοῦ (versiculi) an παρεμβεβλημένοι [13]. »

Ὑπεκθέμενος cum clam subduxero securitatis causa. « Sin

1. *Ad Att.*, X, 9, 1. — 2. *Ad Fam.*, XVI, 17. — 3. *Ad Att.*, V, 21, 4. — 4. *Ad Quint.*, III, 4, 4. — 5. *Ad Att.*, IX, 1, 1. — 6. Ibid., IV, 15, 3. — 7. *Ad Fam.*, XVI, 23, 2. — 8. *Ad Att.*, VI, 1, 5. — 9. *Tusc.*, IV, 11, 25. — 10. *Ad Att.*, XII, 44, 2. — 11. Ibid., XVI, 4, 4. — 12. *Ad Fam.*, IX, 20, 2. — 13. Ibid., IX, 10, 1.

bellum geretur, non deero officio nec dignitati meæ, pueros ὑπεκθέμενος in Græciam [1]. »

Πειθανάγκη suasio violenta. « Ego autem non tam γοητείαν hujus timeo quam πειθανάγκην. Αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inquit Πλάτων, οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις [2]. »

Πολυγραφώτατος qui plurima scripsit; de Varrone [3].

Σκιαμαχίαι umbratiles pugnæ « meæ illæ vehementes contentiones tanquam σκιαμαχίαι esse videntur [4]. »

Quibus frequentissimis exemplis, nisi fallor, dilucide apparet quanto mollior ad componendum græca quam latina sit lingua, qualem vero brevitatem junctis vocibus et compositis dictionibus assectari possit. Non enim ego id esse maximi momenti credo, quod cohærent et in unum duo verba conglutinantur : non multo celerius dicit qui σκιαμαχίας quam qui umbratiles pugnas. Sed cum una et eadem appellatione duæ ejusdem sententiæ partes expromantur, tunc uno prospectu mens ambas concipit et comprehendit : duobus animi conatibus intelligitur umbratilis ac pugna, uno autem conspectu σκιαμαχίαν totam videmus.

Adde quæ latinus sermo, quoniam participio perfecto activi et medii verbi caret, atque præsenti passivi, et verbali adjectivo, una voce significare nequit : velut,

ἀγέλαστος, qui nunquam risit [5];

κρινόμενον, de quo agitur [6];

ἀδύνατον, quod fieri non potest [7];

ἀζηλοτύπητον, cui nemo invidet [8];

ἀκατάληπτον, quod comprehendi non potest [9];

εὐπόριστος, quod facile impetrare possis [10].

Cui inopiæ subvenient postea scriptores illi qui frequentissima et molestissima illa adjectiva effingent, quæ concluduntur exitu « bilis », sicut *incomprehensibilis*. Quæ haud scio an revera latina sint.

Id igitur erat Romanæ linguæ ingenium ut eam, Cicerone vigente, jam ætate provectam nulla vis humana, vel privati

1. *Ad Att.*, VII, 17, 4. — 2. Ibid., IX, 13, 4. — 3. Ibid., XIII, 18. — 4. *Ad Fam.*, XI, 14, 1. — 5. *De Fin.*, V, 30, 92. — 6. *Or.*, 36, 126. — 7. *Ad Att.*, I, 1, 2. — 8. Ibid., XIII, 19, 4. — 9. *Acad.*, II, 6, 18. — 10. *Ad Att.*, VII, 1, 7.

viri, vel principis inflectere posset ad coagmentandas in unam locutionem duas vel tres voces, et ut plurimas græci sermonis flexiones æmularetur.

Post M. Tullium, Livius : « Quos androgynos vulgus, ut pleraque faciliore ad duplicanda verba græco sermone appellat (27, 11, 5); » et Gellius : « Adjecimus sæpe animum ad vocabula rerum non paucissima, quæ neque singulis verbis, ut a Græcis, neque si maxime pluribus eas res verbis dicamus, tam dilucide tamque apte demonstrari latina oratione possunt, quam Græci ea dicunt privis vocibus... In me igitur infecundia, qui ne pluribus quidem verbis potuerim obscurissime dicere quod a Græcis perfectissime uno verbo et planissime dicitur. » (*N. A.*, 11, 10)[1].

1. Weise, *L. l.*, p. 23.

DECIMUM CAPUT.

DE GRÆCIS VOCABULIS OB SUBTILIOREM SENSUM USURPATIS.

In libris tullianis de rhetorica vel de philosophia scriptis lector aliquoties queritur quod, inter verborum circumlocutiones et plura idem significantia vocabula, scriptoris sententia fiat obscurior et dubia [1]. Utrum Ciceroni an linguæ natali crimini vertendum id vitium videtur? Num idem, quandoquidem alium et ditiorem sermonem in manu tenet, nihilo minus obscurus est?

Si græcarum apud M. Tullium dictionum vim et significationem diligenter perpenderis, sæpenumero compertum habebis eam dictionem sensum quendam afferre qui unus inter multa vel latina vel græca vocabula cum scriptoris sententia aptissime congruat.

Ἀκηδία. « De Attica, optime. Ἀκηδία tua me movet etsi scribis nihil esse. » Ἀκηδία est torpor quidam vel ea mentis conditio quæ nulla re commovetur, morbi instantis nonnunquam indicium [2]. Gallice « abattement ».

Ἀλογίστως. « Quod si iste Italiam relinquet, faciet omnino male, et, ut ego existimo, ἀλογίστως [3]. » Quod ἀλογίστως idem valet quod « nulla ratione, ne minima quidem. Gallice « déraisonnablement ».

Ἀναπάντητον. « Inde iter qua maxime ἀναπάντητον esset, ad mare superum remotis sive omnino missis lictoribus [4]. » Qua nemo viatori occurrit. Gallice nihil.

Ἀνηθοποίητον. « Nihil ego vidi tam ἀνηθοποίητον, aversum a

1. Cf. Causeret, *op. cit.* Introd., III, 14. — 2. *Ad Att.*, XII, 45, 1, not. Bootii. — 3. Ibid., IX, 10, 4. — 4. Ibid., IX, 1, 3.

suis, tam nescio quid cogitans [1]. » In quo mores conformari et effingi nequeant. Gallice fere « indisciplinable ».

Ἀπάντησις. « Quas fieri censes ἀπαντήσεις ex oppidis, quos honores? — Ne ad urbem ἀπάντησις mea animadvertatur. — Mirifica ἀπάντησις et cohortatio [2]. » De civibus qui clarissimo viro in urbem quandam advenienti, honoris causa occurrunt. Gallice nihil.

Βλάμματα et ὠφελήματα. « Ut vero conservetur omnis homini erga hominem societas, conjunctio, caritas, et emolumenta et detrimenta (quæ ὠφελήματα et βλάμματα appellant) communia esse voluerunt, quorum altera prosunt, nocent altera. » Cui loco Madvigius subjicit : « Cum emolumenta et detrimenta dicere coactus esset inopia linguæ, in qua nulla essent substantiva, quæ a verbis prodesse et nocere descenderent, ut ὠφέλημα et βλάμμα ἀπὸ τοῦ ὠφελεῖν καὶ τοῦ βλάπτειν, hæc addidit ut propius ad Græcorum nominum vim accederet [3]. »

Διάθεσις. « Odorare tamen Antonii διάθεσιν, quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quicquam mali cogitare. » Gallice « dispositions [4]. »

Ἐπέχειν assensum sustinere. « Quas multo ante tuas acceperam litteras, in quibus ἐπέχειν te scripseras, quid esset mihi faciendum eæ me pungebant. » Gallice « être en suspens. »

Quam argute subtilem græcorum nominum sensum prosequeretur noster, hæc disputatiuncula de vocabulo « ἐποχή » ostendit, quæ in epistola quadam ad Atticum inest. In *Academicorum* prima recensione (nunc II, 29, 94) scripserat Cicero :

« Ego enim, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo. » Sermonis nautici expers erraverat Atticus cum huic suasisset ut scriberet non « equos sustinebo » sed « inhibebo ». Quam correctionem, primo probatam, nunc meliora edoctus tolli jubet noster. « Nunc ad rem ut redeam, *inhibere* illud tuum, quod valde mihi irriserat, vehementer displicit; est enim verbum totum nauticum. Quanquam id quidem sciebam, sed arbitrabar sustineri re-

1. *Ad Att.*, X, 10, 6. — 2. Ibid., VIII, 16, 2; IX, 7; XVI, 11, 6. — 3. Ibid., XIV, 3, 2. — 4. Ibid., VI, 6, 3.

mos, quum inhibere essent remiges jussi : id non esse ejusmodi didici heri, cum ad villam nostram navis appelleretur; non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id ab ἐποχῇ remotissimum est : Quare facies ut ita sit in libro quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si forte mutavit. Nec est melius quicquam, quam ut Lucilius.

Sustineat currum ut bonu' sæpe agitator, equosque,

semperque Carneades προβολὴν pugilis et retentionem aurigæ similem facit ἐποχῇ : inhibitio autem remigum motum habet et vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim. Vides quanto hoc diligentius curem quam aut de rumore aut de Pollione, de Pansa etiam... »

Ἐπισταθμία. « Habes hospitium, sive ἐπισταθμίαν odiosam mihi, dixi, non molestam[1]. » Hospitio supposuit ἐπισταθμίαν ut subtilius vocabulum, quod significat « necessitas hospitio recipiendi comites principis aut legati, » (Ern.) quod cum re congruit, quoniam de Cæsare et ejus comitibus apud Ciceronem receptis dicitur. Gallice nihil.

Εὐγένεια. « Nihil errabis, si paullo diligentius, ut quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas intelligas, Athenodorus Sandonis filius quid de his rebus dicat attenderis[2]. » Generis nobilitas. Gallice nullum aptum vocabulum adest. Cf. Boileau, *Satire V sur la Noblesse.*

Εὐήθεια. « Εὐήθειαν Sempronii Rufi cognovi ex epistola tua Corcyræa[3]. » De probis hominibus qui alios ex simplicitate sua metiuntur ideoque decipiuntur. (Ern.) Gallice « naïveté ».

Εὐλογία. « Lucum hominibus non sane probo, quod est desertior, sed habet εὐλογίαν[4]. » Probabilis ratio. Gallice nihil.

Ζηλοτυπεῖν. « Scire cupio quem intellexeris ab eo (Varrone, qui desiderabat sibi nullum librum adscripsisse Ciceronem) ζηλοτυπεῖσθαι, nisi forte Brutum. » — « Quem ζηλοτυπεῖν (intelligis Varronem) nisi forte Brutum, quem si non ζηλο-

1. *Ad Att.*, XIII, 52, 2. — 2. *Ad Famil.*, III, 7, 5. — 3. *Ad Att.*, VI, 2, 10. — 4. Ibid., XIII, 13, 1.

τυπεῖ, multo Hortensium minus [1] ? » Ζηλοτυπία est « ægritudo ex eo quod alter potiatur eo quod ipse concupiverit [2]. » Antonius, quod Cicero, non ipse, augur factus erat, ægritudinem eam susceperat : cum autem diceret se auguratus petitionem ei concessisse, neque auguratum concupivisse, attamen ipse suum animi motum ζηλοτυπίαν appelat. Quod verbo quid imo pectore sentiat invitus declarat, vel externæ vocis propriam vim ignorat : « Quæ (offensio nostra) magis a ζηλοτυπίᾳ mea quam ab injuria tua nata est [3]. »

Vocabuli « κόσμος » ingenuam vim totam comprehendit, idque fere invitus latino anteponit : « Cumque similem universitatis naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit, comitemque eum sapientiæ quam optimæ mentis effecit, circumque omne cælum æqualiter distribuit, ut hunc hac varietate distinctum bene Græci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus [4]. »

Οἱ περὶ αὐτόν. « Præterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν (Cæsarem) valde copiose [5]. » Gallice fere « son état-major ».

Ὁμολογία. Si quando eandem sententiam extraneis vocibus callidis et acutis, patriis autem incertis et dubiis demonstrat, quis M. Tullium, non linguam indigenam reprehendat? Vocem enim « convenientia », ut exemplo utar, variis significationibus eum usurpare inopia sermonis romani cogit : « Quod (summum bonum) cum positum sit in eo quod ὁμολογίαν Stoïci, nos appellemus convenientiam, si placet [6]... »

« Conjectores ex quadam convenientia et conjunctione naturæ, quam vocant συμπάθειαν, quid cuique rei conveniat ex somniis et quid quamque rem sequatur, intelligunt [7]. »

Quantum vero gloriatur de latinis divitiis, quanta lætitia exsultat, si forte subtilius quoddam latinum vocabulum quam græcum repperisse sibi videtur! « Quas Græci πάθη appellant, poteram ego verbum ipsum interpretans morbos appellare. Sed non conveniret ad omnia : quis enim misericordiam aut ipsam iracundiam morbum solet dicere? At illi

1. *Ad Att.*, XIII, 18. — 2. *Tusc.*, IV, 8, 18. — 3. *Ad Fam.*, X, 8 a, 1. — 4. *Tim.*, c. 10. — 5. *Ad Att.*, XIII, 52, 2. — 6. *De Fin.*, III, 6, 21. — 7. *Divin.*, II, 60, 124.

dicunt πάθος : sit igitur perturbatio, quæ nomine ipso vitiosa declarari videtur[1]. »

Callide σοφίαν a φρονήσει discernit : « Princeps omnium virtutum illa sapientia quam σοφίαν Græci vocant ; prudentiam enim, quam Græci vocant φρόνησιν, aliam quandam intelligimus, quæ est rerum expetendarum fugiendarumque scientia[2]. »

Σύνναος. « Eum (Cæsarem) σύνναον Quirino malo quam Saluti[3]. » Cum dii σύνναοι sint qui templo communi coluntur, maxime argutam significationem huic verbo subjicit et nutu designat noster : malo Cæsarem, propter tyrannidem, sicut Romulum propter severiora imperia, interfici, quam salvum esse. (Ern.)

Τὸ νεμεσᾶν — τὸ φθονεῖν. « Tam gaudeo, quoniam τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φθονεῖν[4]. » Quia honos non in indignum collatus erat magis gaudebat quam quod Calidii repulsi ægritudine voluptatem percipiebat. »

Ὑπομεμψίμοιρος. « Appius ad me extinere bis terve ὑπομεμψιμοίρους litteras miserat, quod quædam a se contituta rescinderem[5]. » Adjectivum « subquerulus » callidissime excogitavit Ernestius ad hoc transferendum.

Causa cur M. Tullius subtiliter extrarias dictiones intellexerit et argutissime hospitas usurparit, ea mihi videtur : scilicet ad prospiciendam significationem ingenuam cujusque locutionis ad originem recurrebat et ἐτυμολογίαν prosequebatur, ex quo fonte primigenius sensus descendebat. Ita natalem et principalem unius cujusque appellationis vim mente comprehendebat. Quem morem initia verborum repetendi, et aliis in locis, iisque jam laudatis, et in his præsertim notaveris :

Δημήτηρ. « Mater autem est a gerendis frugibus Ceres tanquam Geres : casuque prima littera itidem immutata ut a Græcis ; nam ab illis quoque Δημήτηρ quasi Γῆ μήτηρ nominata est[6]. » Quem errantem ne irrideas, cum quæ voluerit non quæ potuerit requiramus.

1. *De Fin.*, III, 10, 35. Cf. *Tusc.*, III, 4, 7 ; 10, 23. — 2. *De Offic.*, I, 43, 153. — 3. *Ad Att.*, XII, 45, 3. — 4. Ibid.. V, 19, 3. not. Bootii. — 5. Ibid., VI, 1, 2. — 6. *De Nat. D.*, II, 26, 67.

« Διόσκουροι etiam apud Graios multis modis nominantur... Secundi duo, Jove nati et Leda, Castor et Pollux [1]. »

Ἑστία. « Vestæ nomen a Græcis est : ea est enim quæ ab illis Ἑστία dicitur; vis autem ejus ad aras et ad focos pertinet [2]. »

Κρόνος. « Saturnum autem eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus Græce id ipsum nomen habet ; Κρόνος enim dicitur, qui est idem χρόνος, id est, spatium temporis [3]. » Non nostra refert utrum erraverit annon Cicero, qui χρόνον idem valere atque Κρόνον putaverit, satis est eum ad principium ascendisse et ex eo vim innatam nominis exhausisse :

Itidem de verbo λύπη. « Ipsam ægritudinem λύπην Chrysippus, quasi λύσιν, id est solutionem totius hominis, appellatione putat [4]. »

Λυρικοί. « A modis quibusdam cantu remoto soluta (videtur) esse oratio, maximeque in optimo quoque eorum poetarum qui λυρικοί a Græcis nominantur, quos cum cantu spoliaveris, nuda pæne remanet oratio [5]. »

Πλούτων. « Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui dives, ut apud Græcos Πλούτων, quia et recidant omnia in terras et oriantur e terris [6]. »

Ῥήτωρ. « Græce ab eloquendo ῥήτωρ et latine eloquens dictus est [7]. »

Ὑάδες. « Has Græci stellas Hyadas vocitare suerunt a pluendo, ὕειν enim est pluere; nostri imperite Suculas, quasi a subus essent, non ab imbribus nominatæ [8]. »

Quam consuetudinem certissimam esse ad percipiendam vocum virtutem, immo fere unam, jampridem M. Tullius excogitaverat, antequam docti nostri æquales hanc pæne legem intelligendæ linguæ tulerunt :

« Jusque dans les extensions les plus éloignées, il est rare que l'usage, guidé par une logique secrète, ne reste pas fidèle à la signification première, qui l'explique et la con-

1. *Ad Att.*, III, 21, 53. — 2. Ibid., II, 27, 67. — 3. Ibid., 25, 64. Cf. Bréal, *Hercule et Cacus*, p. 57. — 4. *Tusc.*, III, 25, 61. — 5. *Or.*, 55, 183. — 6. *De Nat. D.*, II, 26, 66. — 7. *Or.*, 19, 61. — 8. *De Nat. D.*, II, 43, 111.

firme. Une définition précise de chaque terme, fondée sur l'origine et l'histoire du mot, ferait évanouir les prétendus mots synonymes[1]. »

Qui igitur et illam sermonis comprehendendi et usurpandi legem noscebat et usu observabat, qui non patriam sed doctam et externam linguam mira quadam subtilitate sibi mutuabatur et acutissima calliditate arripiebat, qui vero patrii sermonis divitias et opes ita circumspiciebat ut eas etiam aliquando augeret, eum quis reprehendere possit, si forte quibusdam in libris philosophicis rhetoricisve sententiam non omnino enucleatam ostendit, sive, quamvis frequentes sint dictiones et amplissimæ verborum circumlocutiones, attamen nube quadam subobscura sensus aliquoties offenditur et obcæcatur? Ea non disserentis Ciceronis sed populi romani et linguæ patriæ erat culpa.

1. *Dictionn. génér. de la Langue française :* Hatzfeld, Darmesteler et Thomas. Paris, 1891, 1er fasc. Introd., p. XVI.

UNDECIMUM CAPUT.

DE ROBORE ET FIGURIS GRÆCARUM APUD CICERONEM VOCUM.

Græcum vocabulum potiusquam romanum aliquoties assumit M. Tullius quia vehementi aliquo impetu moveri, vel figuratione quadam id verbum illustrari existimatur, ut ex illo adhibito sucus et sanguis oriatur et virilior fiat oratio. Hæc tanquam robustiora seligentem eum videre videor.

Ἀδημονῶν. « Lentulus noster Puteolis est; ἀδημονῶν is, ut Cæcius narrat, quid agat[1]. » Ἀδημονῶν ex ἀδέω (sollicitor) haustum verbum idem valet atque « sollicitudine animi pendens. » Qua sollicitudine cum sæpe exagitatus esset noster, acrius et intentius aliquid prosecutus est quam quod latina significarent.

« Ἀκολασίαν (Cæsarianorum, Cæsare interfecto) istorum scribis[2]. » Indomita licentia.

Ἄλη. « Hæc est ἄλη, in qua nunc sumus, mortis instar[3]. » Anxietas animi nunquam conquiescentis.

Ἐκτένεια. « Quam in me incredibilem ἐκτένειαν[4] ! » Incredibile et insigne quoddam studium et ardor. Cf. « nihil possum dicere ἐκτενέστερον, nihil φιλοστοργότερον[5]. »

Παλιγγενεσία. Hoc gravissimum et maxime vividum nomen ex Graiis duxit, ut, postquam revocatus ab exsilio statum et dignitatem recuperavisset, proconsulare illud imperium susceptum appellaret et extolleret. « Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram non negligendam[6]. » Gallice : *renaissance,* vel etiam *restauration.*

1. *Ad Att.* IX, 13. — 2. Ibid., XIV, 11, 1. — 3. Ibid., X, 1, 4. — 4. Ibid., X, 17, 1. — 5. Ibid., XIII, 9, 1. — 6. Ibid., VI, 6, 4.

Παρρησία. « Insectandis exagitandisque nummariis judicibus, omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriæ παρρησίαν eripui[1]. » Loquendi licentia.

Πάσχω τι, patior aliquid, Angor[2].

« Sit στοργῆς licet summa σύντηξις, tamen nos recte facere et bene audire vult[3]. » Arcta animorum pio amore conjunctio et quasi conglutinatio (de carissima filia).

Ex quibus seponenda sunt aliquot quæ familiari quodam sono asperiora exsistunt et acriori vehementia efferuntur, sicut :

« Fulsisse mihi videbatur τὸ καλὸν ad oculos ejus (Pompeii, Cæsare impendente) et exclamasse ille vir qui esse debuit... τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ. At ille tibi πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens pergit Brundisium[4]. » Multam salutem dicens honesto.

Στρατύλλαξ. « Leptæ litterarum exemplum tibi misi, ex quo mihi videtur στρατύλλαξ ille dejectus de gradu[5]. » Imperatorculus (ab Ern. fictus).

Quæ omnia cum mutuaretur, certe ea excerpebat quæ revera nervis et robore essent infirmioribus latinis locutionibus anteponenda. Aliquando autem græcarum litterarum amore et studio, ut opinor, fallitur, cum adsit latinum verbum, neque magis enerve, immo segnius. Quia vero latinam vocem quotidiano sermone terit M. Tullius, magis fractam eam existimat et inertem vel attenuatam; illa autem remota neque usitata vox ei vividior apparet, et novitate quadam ornata subridet. De quo errore non ego certo affirmaverim; tantummodo suspiciones proposuerim.

Ἀκοινώνητος. « Brutus ad me etiam cum rogat aliquid, contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere[1]. »

Αὐθωρεί. « Facinus indignum, epistolam αὐθωρεὶ tibi a Tribus Tabernis rescriptam ad tuas suavissimas epistolas neminem reddidisse[7]. » Quid significet αὐθωρεί quod non « protinus, extemplo », non mihi quidem perspicuum est.

« Multa ἄφατα, ἀδιήγητα, sed unum ejusmodi quod, nisi exercitus sciret, non modo Tironi dictare, sed ne ipse qui-

1. *Ad Att.*, I, 16, 8. — 2. Ibid., XV, 20, 3. — 3. Ibid., X, 8, 9. — 4. Ibid., VIII, 8, 2. — 5. Ibid., XVI, 15, 3. — 6. Ibid., VI, 1, 7. — 7. Ibid., II, 13, 1.

dem auderem scribere[1]. » Quorum in locum subjice « non dicenda, non narranda, » nihil abstuleris.

« Abest frater ἀφελέστατος et amantissimus[2]. » Maxime candidus, apertus, sincerus.

Κεφάλαιον. « Videbis... multa, immo omnia, quorum κεφάλαιον, ne quid inter cæsa et porrecta, ut aiunt, oneris mihi addatur aut temporis[3]. » Præcipuum.

Λαμπρά. « Recte πεφύσημαι, nihil est præclarius. Interim hæc λαμπρά : Ariobarzanes opera mea vivit, regnat[4]. » Splendida.

Τιμή. « Insula Arpinas habere potest germanam ἀπόθεωσιν, sed vereor ne minorem τιμὴν habere videatur ἐκτοπισμός[5]. » Honorem.

Præcipuum autem græcarum dictionum decus (quod ut adipiscatur plurimas e græcis duxit Cicero) in floribus inest et in orationis pigmentis, in insignibus luminibus quibus ornatur is exterus sermo et splendet. Quanto studio μεταφορικὰ et τροπικὰ ὀνόματα propria inclinatione ingenii Cicero sit assecutus, nemo est qui nesciat, quanta præsertim felicitate incuriosa in epistolis suis ea prosecutus sit. Nonnullos autem fortasse præterit splendidissimis floribus ex horto græco eum conspersisse orationem suam, et fulgentissimos colores ex græcis pigmentis detraxisse. Græca verba quæ μεταφορικὰ usurpavit ea sunt :

Ἀγοητεύτως, sine præstigiis et fuco. « Audi igitur me hoc ἀγοητεύτως dicentem : ne vivam, mi Attice, si mihi non modo Tusculanum... sed μακάρων νῆσοι tanti sunt ut sine te sim tot dies[6]. » Cf. : « Ego autem non tam γοητείαν ejus timeo, quam πειθανάγκην[7]. »

Αἰσχροῦ φαντασία. « Cum lego (litteras tuas), minus mihi turpis videor, sed tamdiu dum lego ; deinde emergit rursum dolor et αἰσχροῦ φαντασιά[8]. » Quam translationem prænuntiat verbum « emergit, » eam commendat mala conscientia quæ ante oculos timentis noxii nocturnas sceleris umbras suscitat. Ea poeticum sonat.

Ἀνθηρογραφεῖσθαι, floride scribi. « Et hercule sunt res (γεω-

1. *Ad Att.*, XIII, 9, 1. — 2. Ibid., I, 18, 1. — 3. Ibid., V, 18, 1. — 4. Ibid., V, 20, 6. — 5. Ibid., XII, 12, 1. — 6. Ibid., XII, 3, 1. — 7. Ibid., IX, 13, 4. — 8. Ibid., IX, 6, 5.

γραφικαὶ) difficiles ad explicandum et ὁμοειδεῖς, nec tam possunt ἀνθηρογραφεῖσθαι quam videbantur[1]. »

Ἀπροσδιόνυσον, absurdum. « Nihil tam ἀπροσδιόνυσον mihi primo videbatur[2]. »

Ἄτυφος, sine ambitione, sans bouffées d'ambition. « In quo triumpho nec me κενὸν in expetendo cognosces, nec ἄτυφον in abjiciendo[3]. »

Βαθύτης, profunda taciturnitas. « Ne βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in scribendo sit oculatior et aliquid satisfactio levitatis habere videatur[4]. »

Γεωμετρικῶς. « Hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Lælii : sed tu me γεωμετρικῶς refelleras[5]. » Gallice « Par $a + b$ ».

Ἐβδελυττόμην abominabar rem quasi putidam. « Tum ego, etsi ἐβδελυττόμην, tamen negavi putare me illa esse vera[6]. »

Εἰλικρινές, quod etiam ad solem explicatum et inspectum purum reperitur (Ern.). « Mihi cum sua sponte jucundum, tum jucundius quod me absente (est enim εἰλικρινὲς judicium) sine oppugnatione, sine gratia nostra[7]. »

Ἐξακαντίζειν spinas evellere, aliquid subtiliter excutere. « Cetera (Dolabellæ generi vitia) noli ἐξακαντίζειν[8]. »

Ἐπέχειν hæsitari. « Ἐπέχειν te scribebas. Quid erat dubitatione dignum[9]? »

Επίτηκτος, ferruminatus, « plaqué. » « Omnia illa prima (quæ de comitum meorum continentia scripsi) quæ etiam tuis litteris in cælum ferebas, ἐπίτηκτα fuerunt[10].

Ἑρμαῖον, neque lucrum insperatum neque « trouvaille. » Itaque ut legi tuas de Varrone, tanquam ἑρμαῖον arripui[11]. »

Εὐπινές. Quod eleganter priscam simplicitatem refert. « Cæsar autem mihi irridere visus est « quæso » illud tuum, quod erat εὐπινές et urbanum. » Πίνος est, ut docuit Toupius ad Longinum, p. 203, robigo antiquitatis, quæ artificum opera commendabat. Cf. XV, 17, 2. « Ipsius litteræ sic et φιλοστόργως (filii) et εὐπινῶς scriptæ, ut eas vel in acroasi audeam legere[12]. »

1. *Ad Att.*, II, 6, 1. — 2. Ibid., XVI, 13 a, 1. — 3. Ibid., VI, 9, 2. — 4. Ibid., IV, 6, 3. — 5. Ibid., XII, 5, 3. — 6. Ibid., XV, 29, 2. — 7. *Ad Q. fratr.*, II, 8, 1. — 8. *Ad Att.*, VI, 6, 1. — 9. Ibid. XVI, 9, 3. — 10. Ibid., VII, 1, 5. — 11. Ibid., XIII, 19,5. — 12. Ibid., XII, 6, 4, Boot., p. 516.

Εὐστομάχως bono stomacho, fortiter. « Finge me quamvis εὐστομάχως hæc ferentem [1]. »

Ἕωλος, non recens [2].

Κατὰ μίτον, singula percurrendo, tanquam telæ licia : Herodi autem mandaram ut mihi κατὰ μίτον scriberet [3]. »

Κέντρον, punctum. « Num dubitamus... terram... quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi vocant [4]. »

Κεπφοῦμαι. Incerto animo sum. « Sed ego ipse κεπφοῦμαι. » Verbum derivatur a κέπφος, quod est nomen avis e mergorum genere, et translate indicat hominem levem et εὐμετάβολον [5], quem admodum in primis Ciceronem fuisse constat.

Λαλαγεῦσα. « Inde exspecto equidem λαλαγεῦσαν illam tuam [6]. »

Μεθαρμόσομαι. Commutabo. « De Epicuro ut voles : etsi μεθαρμόσομαι in posterum genus hoc personarum [7]. » Cum alias personas in dialogis philosophicis inducat disserentes de iisdem doctrinis, hanc commutationem confert cum illa qua statuæ in aliam faciem mutantur, ut alium quam antea referant, dum corpus idem restat.

Μείλιγμα, lenimentum. « Atque etiam vereor ne putet Cæsar me hoc quasi Catonis μείλιγμα esse voluisse [8]. »

Ὀξύπεινος, neque cibi avidissimus neque *affamé* idem valent. « Quantam porro mihi exspectationem dedisti convivii istius ἀσελγοῦς ! Sum in curiositate ὀξύπεινος [9]. »

Ὁρμή, impetus. « Te puto jam videre, quæ sit ὁρμὴ Cæsaris [10]. »

Παροινικῶς, insolenter. « Vide quam ad hæc παροινικῶς [11]. »

[illegible], superbiam proflare : « Nec ipse non noram, nec satis sciebam quid in hoc genere facere possem ; recte πεφύ[illegible] [12]. »

[illegible], specimen ex quo de toto opere, quale futurum sit, judicari potest : *maquette*. « Hirtii epistola mihi quasi [illegible] videtur ejus vituperationis quam Cæsar scripsit de Catone [13]. »

[illegible], facies civitatis : « Sullam patrem mor-

[illegible] — 2. Ibid., XIII, 21, 4. — 3. Ibid., XIV, [illegible] 17, 10. — 5. *Ad Att.*, XIII, 40, 2, Bootii, not. [illegible] — 7. Ibid., XII, 12, 2. — 8. Ibid., XIII, 27, 1. [illegible] — 10. Ibid., VII, 11, 5. — 11. Ibid., X, 10, 1. [illegible] 13. Ibid., XII, 41, 4.

tuum habebamus; alii a latronibus, alii cruditate dicebant; populus non curabat; combustum enim esse constabat. Hoc tu pro sapientia feres æquo animo : quanquam πρόσωπον πόλεως amisimus[1]. »

Σπείσασθαι, pacisci. « Σπείσασθαι vult cum Bruto et Cassio[2]. »

Σύντηξις, coagmentatio animorum et quasi conglutinatio. « Sit στοργῆς licet summa σύντηξις, tamen nos recte facere et bene audire vult[3]. »

Τετυφῶσθαι, inani gloriolæ studio duci. « Mihi crede, una me causa movet, in qua scio me τετυφῶσθαι[4]. »

Τὴν ἔσω γραμμήν, interiorem lineam. « De eo quod me mones ut et πολιτικῶς me geram et τὴν ἔσω γραμμὴν teneam, ita faciam[5]. » A studio ducta translatio est. Idem est ac medium tenere, potentibus neque prorsus assentiri, neque stulte repugnare.

Ὑπώπιον, vulnus in facie, macula : « Auli filius ita se gerit ut ejus consulatus non consulatus sit, sed Magni nostri ὑπώπιον[6]. »

Φαλαρισμός, sævitia Phalaridis instar. « Nam istum quidem cujus φαλαρισμὸν times, omnia teterrime facturum puto[7]. »

Ex medicorum græca scientia totus is locus : « Ut si medicus, cum ægrotus alii medico traditus sit, irasci velit ei qui sibi successerit, si, quæ ipse in curando constituerit, immutet ille, sic Appius, cum ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curarit, sanguinem miserit, quicquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam, προςανατρεφομένην eam a me non libenter videt, sed modo succenset, modo gratias agit[8]. » Qua opera hanc figuram introduxerit, qua accuratione perduxerit, quo labore plures similitudines abstraxerit, qua diligentia opposuerit et conjunxerit contrariis contraria, qua felicitate exornaverit, quis est cui non dilucidum sit et mirandum videatur.

Ἀποτόμως, præcise. « Dictum est a medicis qui secant et urunt et ἀπότομοι dicuntur[9]. » (Ernesti.)

1. *Ad Fam.*, XV, 17, 2. — 2. *Ad Att.*, XV, 29, 2. — 3. Ibid., X, 8, 9. — 4. Ibid., XII, 25, 2. — 5. Ibid., IV, 8 b, 4. — 6. Ibid., I, 20, 5. — 7. Ibid., VII, 12, 2. — 8. Ibid., VI, 1, 2. — 9. Ibid., X, 11, 5. Cf. σύντομα, *ad Att.*, VII, 3, 5.

Καχέκτης, male affectus, cujus corporis habitus totus vitiosus medicis videtur. « Ille alter uno minus vitio vitiosus, quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod ἀπρακτότατος, sed voluntate ita καχέκτης, ut Pompeium post illam contionem in qua ab eo senatus laudatus est, odisse cœperit[1].. »

Τοῦτο δὲ μηλώσῃ, sed hoc tu exploraveris. « Tu igitur id curabis...; id autem utrum illi sentiant anne simulent, tu intelliges : mihi simulatio pro repudiatione fuerit; τοῦτο δὲ μηλώσῃ[2]. » Μηλοῦν est medicorum, qui μηλῇ vel specillo vulnera explorant. Gallice : « sonder ».

Aliquando evenit ut et latinus et græcus sermo eadem translata locutione sint præditi : tunc, nec semel quidem, exteram romanæ anteponentem eum deprehendimus, quasi minus tritam.

Ἀγών, certamen, contentio. « Nam cetera non possunt habere neque vim neque venustatem, remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα vos appellatis[3]. »

Ἀναφαίνεσθαι, idem atque apparere. « Est enim ὑποσόλοικον, cum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, reperte ἀναφαίνεσθαι non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem[4]. »

Ῥοπή, momentum. « Magna ῥοπή ad proficiscendum in tuis epistolis[5]. »

Σκυλμός, vexatio. « Quo animo consules ferant hunc σκυλμόν, rescribas ad me[6]. »

Σύγχυσις, confusio. « Admiratus sum σύγχυσιν litterularum, quæ solent tuæ compositissimæ et clarissimæ esse[7]. »

Aliquot mutuatus est quia gestum, formam, habitum, speciem, coloris splendorem discribebant vel depingebant.

Ἀκκίζεσθαι, dissimulare, « faire des façons », verbum desumptum ab ἀκκώ, « femme grimacière » : « Certi sumus perisse omnia. Quid enim ακκιζόμεθα tamdiu[8]? »

Γαυριῶ, elatum caput profero, glorior. « Nepotis epistolam

1. *Ad Att.*, I, 14, 6.—2. Ibid., XII, 51, 2, Bootii, not.—3. Ibid., I, 16, 8. — 4. Ibid., II, 10. — 5. Ibid., XVI, 5, 4. — 6. Ibid., IV, 13, 1. — 7. Ibid., VII, 8, 4. — 8. Ibid., II, 19, 5.

exspecto. Cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet[1]. »

Δίβαφος, bis tincta purpura vestis auguralis. « Isti licet faciant quos volent, consules, tribunos plebis, denique etiam Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant[2]. »

Δυσωπία, pudor qui demittendo oculos se prodit. « In Vergilio mihi nulla est δυσωπία[3]. »

Neque abest poeticus quidam color ex græcis illis versuris. Undecimæ epistolæ septimi libri locus demonstrat Ciceronem, cum vehementi motu animi vel indignatione efferatur, aliquando poetarum illorum quos tantopere colit nitorem esse mutuatum, ut non carmina fingens sed oratione soluta utens, ad poesim accedere videatur. Tunc et nova dicta ejus ingenium excogitat, et nota prodit ex græcis poetis memoria, quæ cuncta ita coagmentat noster ut uno tenore profluant, et ex suo fonte hæc importata hausta esse videantur : non secus ac Bossuetus noster, cum sacros auctores laudat et interpretatur, eosdem æmulatur et iis quodammodo parem se efficit.

« Utrum de imperatore populi Romani (Cæsar) an de Hannibale loquimur? O hominem amentem... qui ne umbram quidem unquam τοῦ καλοῦ viderit!... Ubi est dignitas nisi ubi honestas?... occupare urbes civium quo facilior sit aditus ad patriam? χρεῶν ἀποκοπάς, φυγάδων καθόδους, sexcenta alia scelera moliri,

τῶν θεῶν μεγίστην ὥστ' ἔχειν τυραννίδα?

... Una res est ea miserior, adipisci quod ita volueris[4]. »

Ut vel factis illudat vel homines irrideat vel dicta cavilletur, ex poetis aliquot dictiones excerpsit. Itidem ad minima significanda maximas et ἐμφατικάς voces græcas usurpat.

Ἀλιτενής, humilis, planus. « Me ipsum nescire arbitraris, utrum magis tumulis prospectuque an ambulatione ἀλιτενεῖ delecter[5]. »

1. *Ad Att.*, XVI, 5, 5. — 2. Ibid., II, 9, 2. — 3. Ibid., XIII, 33, 2 — 1. Ibid., VII, 11, 1. — 5. Ibid., XIV, 13, 1.

Καχέκτης, male affectus, cujus corporis habitus totus vitiosus medicis videtur. « Ille alter uno minus vitio vitiosus, quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod ἀπρακτότατος, sed voluntate ita καχέκτης, ut Pompeium post illam contionem in qua ab eo senatus laudatus est, odisse cœperit[1]. »

Τοῦτο δὲ μηλώσῃ, sed hoc tu exploraveris. « Tu igitur id curabis...; id autem utrum illi sentiant anne simulent, tu intelliges : mihi simulatio pro repudiatione fuerit; τοῦτο δὲ μηλώσῃ[2]. » Μηλοῦν est medicorum, qui μηλῇ vel specillo vulnera explorant. Gallice : « sonder ».

Aliquando evenit ut et latinus et græcus sermo eadem translata locutione sint præditi : tunc, nec semel quidem, exteram romanæ anteponentem eum deprehendimus, quasi minus tritam.

Ἀγών, certamen, contentio. « Nam cetera non possunt habere neque vim neque venustatem, remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα vos appellatis[3]. »

Ἀναφαίνεσθαι, idem atque apparere. « Est enim ὑποσόλοικον, cum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, reperte ἀναφαίνεσθαι non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem[4]. »

Ῥοπή, momentum. « Magna ῥοπή ad proficiscendum in tuis epistolis[5]. »

Σκυλμός, vexatio. « Quo animo consules ferant hunc σκυλμόν, rescribas ad me[6]. »

Σύγχυσις, confusio. « Admiratus sum σύγχυσιν litterularum, quæ solent tuæ compositissimæ et clarissimæ esse[7]. »

Aliquot mutuatus est quia gestum, formam, habitum, speciem, coloris splendorem discribebant vel depingebant.

Ἀκκίζεσθαι, dissimulare, « faire des façons », verbum desumptum ab ἀκκώ, « femme grimacière » : « Certi sumus perisse omnia. Quid enim ακκιζόμεθα tamdiu[8]? »

Γαυριῶ, elatum caput profero, glorior. « Nepotis epistolam

1. *Ad Att.*, I, 14, 6. — 2. Ibid., XII, 51, 2, Bootii, not. — 3. Ibid., I, 16, 8. — 4. Ibid., II, 10. — 5. Ibid., XVI, 5, 4. — 6. Ibid., IV, 13, 1. — 7. Ibid., VII, 8, 4. — 8. Ibid., II, 19, 5.

exspecto. Cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet[1]. »

Δίβαφος, bis tincta purpura vestis auguralis. « Isti licet faciant quos volent, consules, tribunos plebis, denique etiam Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant[2]. »

Δυσωπία, pudor qui demittendo oculos se prodit. « In Vergilio mihi nulla est δυσωπία[3]. »

Neque abest poeticus quidam color ex græcis illis versuris. Undecimæ epistolæ septimi libri locus demonstrat Ciceronem, cum vehementi motu animi vel indignatione efferatur, aliquando poetarum illorum quos tantopere colit nitorem esse mutuatum, ut non carmina fingens sed oratione soluta utens, ad poesim accedere videatur. Tunc et nova dicta ejus ingenium excogitat, et nota prodit ex græcis poetis memoria, quæ cuncta ita coagmentat noster ut uno tenore profluant, et ex suo fonte hæc importata hausta esse videantur : non secus ac Bossuetus noster, cum sacros auctores laudat et interpretatur, eosdem æmulatur et iis quodammodo parem se efficit.

« Utrum de imperatore populi Romani (Cæsar) an de Hannibale loquimur? O hominem amentem... qui ne umbram quidem unquam τοῦ καλοῦ viderit!... Ubi est dignitas nisi ubi honestas?... occupare urbes civium quo facilior sit aditus ad patriam? χρεῶν ἀποκοπάς, φυγάδων καθόδους, sexcenta alia scelera moliri,

τῶν θεῶν μεγίστην ὥστ᾽ ἔχειν τυραννίδα?

... Una res est ea miserior, adipisci quod ita volueris[4]. »

Ut vel factis illudat vel homines irrideat vel dicta cavilletur, ex poetis aliquot dictiones excerpsit. Itidem ad minima significanda maximas et ἐμφατικάς voces græcas usurpat.

Ἀλιτενής, humilis, planus. « Me ipsum nescire arbitraris, utrum magis tumulis prospectuque an ambulatione ἀλιτενεῖ delecter[5]. »

1. *Ad Att.*, XVI, 5, 5. — 2. Ibid., II, 9, 2. — 3. Ibid., XIII, 33, 2. — 1. Ibid., VII, 11, 1. — 5. Ibid., XIV, 13, 1.

Ἄρη πνέων, Martem spirans. « Sed minantur tamen, in primisque Ἄρη πνέων Q. Scævola [1]. »

Cum Atticus delicatum convivium et splendidam compotationem nuntiasset fore ut institueret, M. Tullius qui parcissime οἰκονομοῦντα amicum ipse expertus erat, sumptus illos verbis « ἀσελγές et συμπόσιον » deridet : « Quantam porro mihi exspectationem dedisti convivii istius ἀσελγοῦς! Sum in curiositate ὀξυπεῖνος (ambiguum adjectivum), sed tamen facile patior te id ad me συμπόσιον non scribere, præsentem audire malo [2]. »

Βούλυσις, tempus quo boves ab aratro solent solvi, vespera. « Adventabat autem βουλύσει, cœnantibus nobis [3]. »

Μουσοπάτακτος, a Musis percussus [4].

Νεκυία. « Reliqua, o Dii, qui comitatus! quæ, ut tu soles dicere, νεκυία [5]! »

Προθεσπίζω, præsagio [6].

Ταξιάρχης, centurio. « Anignini sunt, Mustela ταξιάρχης, et Laco qui plurimum bibit. » Cf. « Cum duos secum Anagninos haberet, Mustelam et Laconem, quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum [7]. »

Ὀπαδοί, asseclæ aliorum in militia. « Ergo erimus ὀπαδοί, qui ταγοὶ esse noluimus [8]. »

Καὶ μάλα σεμνός, et valde gravis. « Noster vero, καὶ μάλα σεμνός, in Asiam, posteaquam mihi est assensus tuto se Romæ esse non posse ... statim aït se iturum [9]. » Quibus dictis intentam illam gravitatem Bruti deridet, sequentibus autem Pompeii nubilam frontem : « Sed vereor ne (de pace agens) Pompeii quid oneris imponam, μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου intorqueat [10]. »

Nec solum ex scriptoribus, sed ex communi sermone græcas dictiones assumens Cicero in epistolis disseminare suevit facetias illas et lepidos sales, quos adamabat, quorum se « principem » apud Romanos appellari affectabat; ambiguam etiam externis verbis significationem alligavit.

1. *Ad Quint.*, III, 4, 6. — 2. *Ad Att.*, II, 12, 2. — 3. Ibid., XV, 27, 3. — 4. *Ad Q. fratr.*, II, 10, 1. — 5. *Ad Att.*, IX, 18, 2. — 6. Ibid., VIII, 11, 3. — 7. Ibid., XVI, 11, 3. — 8. Ibid., IV, 6, 2. — 9. Ibid., XV, 12, 1. — 10. Ibid., IX, 7, 3.

Ad Eutrapelum Volumnium, qui Cytherim amabat, ea scribit : Quoniam tanta fæx est in Urbe, ut nihil tam sit ἀκύθηρον quod non alicui venustum videatur [1]... »

Κύρος. (Cyrus erat Ciceronis architectus.) « Fenestrarum angustias quod reprehendis, scito te Κύρου παιδείαν reprehendere [2]. »

Κωμικὸς μάρτυς. « Tu es testis, quoniam κωμικὸς μάρτυς, ut opinor, occidit Phania [3]. » Cum nomen comicæ personæ sit Phania, libertum Appii joco vocat κωμικὸν μάρτυρα. Etc.

Quibus omnibus exploratis manifestum videtur, si quis ex epistolis M. Tullii græca vocabula detraxerit, eundem detrahere et facetias quasdam, non atticas quidem sed urbanas et vere tullianas, et translationum colorem atque splendidos flores cum poetico quodam lumine auferre, et quodammodo lacertos, sanguinem nervosque debilitare, ita ut et exsangues eæ fiant et nudatæ et tristes.

1. *Ad Att.*, VII, 32, 2. — 2. Ibid., II, 3, 2. — 3. *Ad Fam.*, II, 13, 2.

CONCLUSIO

Quibusnam virtutibus sermonem Ciceronis ac mentem græcorum verborum scientia et usurpatio donaverit si requirere velis et colligere, plurimas et eas aliquando eximias in epistolis invenies.

Omittamus, sodes, sales illos et illas argutias quibus res et homines irridet, quanquam is est in epistolis quasi hilaritatis festivus radius, quanquam et nos Galli irrisionis illius de quaque re participes sumus. Quoties autem incensus animus aspera quadam ira vel exultanti gaudio fervet, toties ad robur adhibendum græca passim vocabula frequentia advolant, et genus dicendi non vehementius quidem epistolis addunt quam quod in orationibus miramur, sed genus non eodem modo vehemens : in his enim fusum et profluens aliquid, completum et conclusum, amplissimæ verborum comprehensiones, Romanæ grandiloquentiæ imperatoria illa gravitas; in illis autem, quæ græcis verbis consperguntur, incisum aliquid et fractum, contortum et acre, viriles nervi et sucus, carnis minus, plus lacertorum. Τὸ Ciceronis αἰσθητικὸν commotum et ejus incitata φαντασία ex græca lingua auxilia et vocem mutuantur. Cum ejus cogitatio res omnes specie et figura induat, ut rerum formas describat et ante legentium oculos proponat, si latinus sermo eum deficit, ad græcum statim confugit. Denique nusquam tam acuta subtilitate sententiam exprompsit et doctrinarum reconditas partes eduxit, quam quoties græcorum scriptorum lingua usus est, ut eum græce subtilius cogitantem quam latine credideris.

Ille qui de Cicerone græca vocabula usurpante disserit,

maxima cura sejungere debet epistolas, quas in lucem proferre Ciceroni non in animo erat, a ceteris omnibus ejusdem operibus.

Si orationes pervolvis, Ciceronem deprehendis græca verba fugientem. Major erat in eo patrii sermonis amor et romanæ gloriæ, quam ut se ostenderet civibus suis victi populi linguàm sermoni victoris anteponentem. Cum ipse vel orando vel scribendo verbis, ut qui maxime, abundaret, et facundia profluens esset, non illi externo auxilio opus erat. Gravis erat ejus auctoritas, quam esse maximam sentiebat : quare, Romanis illis, quorum plurimi suam linguam contemnebant, græcam autem adsiscebant, probare voluit quam vehementer viribus romanæ linguæ confideret. Quin etiam græcum illum sermonem tanquam in certamen provocavit et cum eo de abundantia et subtilitate contendit. Hanc laudem concupivit ut nepotes dicerent : Cicerone adolescente, græca quidem lingua priorem locum obtinuit, sed eodem senescente, priorem latina; quam victoriam non armis quidem sed ingenii acumine deportavit ille bis parens patriæ.

Ideo in orationibus græca vocabula desunt. In libris vero rhetoricis et philosophicis nonnulla reperiuntur; hæc ille usurpat ut mente concipiamus quodnam græcum latino verbo convertatur; dilucidior videtur vis romani verbi, cum explicatur græco. Græca lingua adhibetur etiam ad ostendendam scriptoris facundiam, qui sæpe plurima ex romano sermone verba expromit, ut unam Græcorum vocem transferat.

Hanc laudem multo majorem dijudicabis, si reputaveris animo, quanta cura Romani scriptores ante Ciceronem linguam græcam assectarentur. Contra illos, qui se vere Graios dici volebant, repugnavit Cicero, sicut in historia Cato, in rhetorica scriptor Rhetoricæ ad Herennium, in philosophia Rabirius. Ante hos omnes longe antecellit noster : illi suæ audaciæ quidem testimonium dederunt, patriæ linguæ amorem suum ostenderunt, et, erga illam, suam benevolentiam exhibuerunt. Sed rudis eorum et inconditus sermo is erat qui Romanos ἑλληνίζοντας submovere posset a latina lingua in græcam. Cum illi minus prospere successissent, quis, eundem laborem suscipiens, speravisset se prospere successu-

rum? Cicero id tentavit et pulcherrime processit. Finem illum quem sibi Cato et Rabirius frustra proposuerant, Cicero primus petere potuit.

Post Ciceronem mortuum, magistratus et senatores et principes, coram populo et in senatu, a græcis verbis abstinuerunt : adeo ut « monopolium nominaturus (Tiberius) prius veniam postularet, quod sibi verbo peregrino utendum esset, atque etiam cum in quodam decreto patrum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censeret vocem et pro peregrina nostratem requirendam aut si non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam [1]. »

In epistolis autem privatis græca verba usurpabant et Augustus et Claudius; quam consuetudinem deprehendas in epistolis quas Suetonius retulit : « Jucundissime et, ita sim felix, vir fortissime et dux νομιμώτατε, vale [2]. » — « Misellus ἀτυχεῖ : nam ἐν τοῖς σπουδαίοις, ubi non aberravit ejus animus, satis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια [3]. » De quibus animadvertit Gœlzer : « Telles étaient les habitudes de la bonne société de Rome ; le mépris pour le grec n'était pas plus sincère que le mépris pour l'art [4]. »

Si vero scripta respexeris, tum irrumpentes græcas voces in latinum sermonem videbis. In M. Vitruvii Pollionis *de Architectura* decem libris frequentia adsunt græca verba, quæ quidem, sicut M. Tullius in philosophicis scriptis, latine transferre sæpenumero conatur [5].

De *Quintiliano* autem Causeret merito dixit : « Quintilien n'éprouva pas les mêmes scrupules (que Cicéron); il n'eut pas la même fierté nationale. Les mots ἐτυμολογία, ἀλληγορία, συνεκδοχή, et combien d'autres? arrêtaient Cicéron, et lui semblaient être d'une traduction embarrassante. Quintilien ne se donne même pas la peine de les traduire ; et, sans se soucier de savoir si tel ou tel mot latin équivaut plus ou moins exactement à chacun de ces mots, il les transcrit purement et simplement en *etymologia, allegoria, synecdoche,* etc.[6] ... »

1. Suet., *Tib.*, 71. — 2. Ibid., 21. — 3. Suet. Claud., 4. — 4. Gœlzer, *Latin. de S. Jérôme*, p. 233. — 5. Lib. V, præf. — 6. Causeret, *La langue de la rhét. dans Cicéron*, p. 209.

Ipse Quintilianus confessus est : « Græcis utimur verbis, ubi nostra desunt[1]. »

Et Plinius et Celsius pessimum hoc exemplum imitati sunt : « Chez les derniers représentants de la littérature latine, inquit Gœlzer[2], non seulement on voit les termes spéciaux pénétrer dans la langue, mais encore les mots latins équivalents sont remplacés par des mots grecs. »

Quod effatum quam verum sit videbis, si *Rhetores Minores* aut Hieronymi a Gœlzer compositum græcum indicem pervolveris[3]. Numeravit eruditissimus Weisius[4] in latina tota lingua fere septem millia verba græca.

Apud Ciceronem adsunt vix mille, neque ea in orationibus, sed in epistolis addita, vel in philosophicis rhetoricisve scriptis traducta.

Itaque, quamvis plurima græca verba in epistolis sibi adhibuerit noster, attamen pro virili parte, quantum potuit, tempus distulit, ubi latina lingua græcis verbis invadentibus corrupta est et depravata.

1. Quint., *Inst. Or.*, I, 5, 58. — 2. Gœlzer, *L. l.*, p. 224. — 3. Ibid., p. 205. — 4. Weise, *Die griechische Lehnwœrter im Lateinischen Sprache*. Leipzig, 1882. Cf. *La Cultura*, Rivista di scienze, lettere ed arti II, 3, p. 38 : Zambaldi, « La terza parte del lavoro contiene l'indice alfabetico delle seimila novecento cinquanta parole greche, que si trovano nel latini. »

INDEX

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. D. VI kal. sept. anni MDCCCXCII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis rector,

Rectoris loco,

Academiæ inspector,

J. JOUBERT.

Toulouse, Imp. DOULADOURE-PRIVAT, rue St-Rome, 39. — 1710

TOULOUSE, IMPRIMERIE DOULADOURE-PRIVAT, RUE SAINT-ROME, 39

